




[illegible] 13

G. G. SCHILLINGII
DE
LEPRA
COMMENTATIONES.


RECENSUIT

J. D. HAHN.



LUGDUNI BATAVORUM,
APUD SAM. ET JOAN. LUCHTMANS,
TRAJECTI AD RHENUM,
APUD ABR. VAN PADDENBURG,
MDCCLXXVIII.






WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ELENCHUS.

Tres Libri hujus partes ſunt:

In Prolegomenis Editor narrat.

1. *Auctoris & libri fata.*
2. *Summas rerum, quae in libro continentur, & quae deſiderari aut reprehendi poſſe videntur,*
3. *Epidemias aliquot leprae in Europam olim illatae.*
4. *Exemplum hominis leproſi ex America nuper reverſi.*
5. *Schillingii novum contra hydropes medicamentum.*
6. *Ejusdem obſervationes de vi magnetica Gymnoti electrici.*
7. *Quaedam de electrophoro piſcium nonnullorum organo.*
8. *De magnetismo animali obiter.*

J. D.



J. D. HAHN

AD

LECTOREM.

Ut Reipublicae nostrae Coloni liberos suos, quos ingenue educari & litteris moribusque instituti cupiunt, mature in Belgium mittere solent, electisque Tutoribus ac Magistris in disciplinam tradunt: sic librum, quem Tibi offero, L. B. e Colonia Surinamensi tribus circiter abhinc annis missum accepi, ut recognoscerem & typis exscribendum curarem. Quod officium quanquam molestiis non esse cariturum protinus perspexerim, tamen lubenter in me recepi, non magis voluntate erga Auctorem ductus, quam argumenti permotus gravitate. Cum igitur boni Curatoris sit, peracti muneris rationes reddere, non possum, quin praefationem aliquam libro in publicum prodeunti adhibeam.

beam.

beam. Idque non tam mea caussa facio, quam Auctoris, viri optimi mihique amicissimi, & magis etiam eorum, qui hujus generis scripta legunt; quorum in numero non tantum Medicos, sed pene omnes, qui historiam generis humani pernoscere cupiunt, & nonnullos quoque Theologos haberi par est; siquidem morbus, de quo quaeritur, antiquitate pariter ac turpitudine famosus est, & in sacris libris saepenumero memoratus. Interest etiam aliquid, aperte palamque exponi, quis Auctor sit, quo animo, qua occasione scripserit; quae caussae editionem libri tamdiu tardaverint; cur denique Schillingianis commentationibus Ouseelii de Hebraeorum Lepra dissertatio sit interposita. Nec praeterea desunt, quae quanquam ad hujus libri argumentum non pertineant, cum ab eodem Auctore profecta sint, commemorari merentur.

Nimirum Godofredus Guilielmus Schilling, *Prignitio-Brandenburgicus*, cum Paramariboi, quod praecipuum Guianae Belgicae oppidum est, complures annos habitasset, & Medicinam atque Chirurgiam ea diligentia fecisset, ut rationem & experientiam duces secutus, comitem habuerit fortunam, amore litterarum & summa studiorum reveren-

rentia ductus tandem est, ut Coloniam sibi carissimam ad tempus relinqueret. Severus quippe sui censor multa sibi deesse existimabat, quae vel ad officia utriusque Medicinae plenius curanda faciunt, vel homini Naturae curioso ac diligenti in pervestigatione rerum naturalium necessaria sunt. Hac mente Paramaïboö, abhinc fere decennium, profectus primum cultiores Americae borealis provincias peragravit; deinde Oceanum trajectus in Britanniam venit, cujus in metropoli cum aliquamdiu eodem consilio commoratus esset, dilectam Belgicam repetiit, eundemque portum, ex quo quindecim annis ante cum modica suppellectile solverat, ventis rebusque secundis ingressus est. Neque multo post, persolutis grati animi votis, confectisque, quae ad rem familiarem spectabant, negotiis, Amstelaedamo Ultrajectum concessit. In hac Musarum sede non modo artes ad Medicinam pertinentes, sed etiam latinas graecasque litteras, quarum notitiam tempus debilitaverat, amorem auxerat, magna sedulitate coluit, suamque industriam atque animi indolem cum mihi tum Collegis meis & Amicis Trajectinis, quorum memoria mihi carissima est eritque sempiterna, plenissime approbavit. Adhaec ob-

ſervationes, quas de morbis nonnullis, praecipue cutaneis, in Colonia Surinamenſi collegerat, & familiari ſermone curſim notaverat, digerere atque romana veſte indutas vulgare inſtituit. Quo in ſtudio cum me ſibi conſiliarium & monitorem exoptaſſet, nolui operam meam negare Viro, quem explorata jam peritia & probitas in familiaris amicitiae jura apud me adduxerant. Ita factum eſt, ut ſub exitum anni 1769. duos ediderit libellos, unum de *Lepra*, alterum de morbo, quem Americani *Yaws* appellant. Quorum priorem diſſertationis inauguralis titulo propoſitum, cum publice in Academia defendiſſet, ſummos in Medicina honores, quos dudum meruerat, conſecutus eſt.

Circa illud tempus Guilielmus Roëll, Vir illuſtris, ingenii ſagacitate, litterarum doctrina & publicorum etiam munerum adminiſtratione clarus, relicta Amſtelaedamenſi ſede, Rheno-Trajectinam in urbem habitatum venit. Hic quanquam ingraveſcente aetate & longis morbis feſſus a negotiis publicis abſtinere ſe conſtituiſſet, rerum tamen Surinamenſium, quibus diu operam dederat, non omnem curam depoſuit. & tunc certe maxime fuit ſtudioſus. Cum igitur ſaepius ex ore Schillingii, quem cognitum diligebat ſuaque digua-

gnabatur familiaritate, deinde plenius etiam ex ejusdem dissertatione intellexisset, morbum leprae in Carabania perfrequentem esse & saepe clandestinum, verendumque esse, ne latius serpens e Colonia ad Metropolim tandem deferretur, crebros de hac re sermones & consilia cum Nostro contulit; subinde veri altius exquirendi caussà contagiosam mali indolem, quae praecipuum in hac quaestione momentum habet, negare se simulans in alteram partem peracute, ut in omnibus solebat, disputavit; tandemque e chartis a Patre suo, Alexandro Roëllio, magni nominis Theologo & Philosopho, relictis dissertationem produxit de lepra cutis Hebraeorum, manu, nescio cujus, scriptam, atque inde argumenta sumsit, quibus sententiam Schillingii infirmaret, ostenderetque ex duabus positionibus alterutram a veritate alienam esse: vel enim lepram Americanam a Judaïca esse omnino diversam, vel non esse contagiosam. Contra ea Schillingius ambas ex eadem stirpe natas & pariter insidiosas esse contendens, ut subtili & amico Reprehensori ex toto satisfaceret, pollicitus est, se simulac domum reversus & otium esset nactus, ad argumenta, quae contrariae sententiae faveant, plenius responsurum & omnem dubitationem sublaturum.

Datam vero fidem priusquam Noſter liberare potuit, aliquot elapſi ſunt anni. Namque tanta apud eum diſcendi erat cupiditas, ut Europam non ante relinquendam duxerit, quam pene totam peragrasſet, doctosque ac praeclaros cultiorum gentium viros ſalutaſſet atque conſuluiſſet. Sic animatus iter in Gallias inſtituit, & primum Lutetiae Pariſiorum, deinde in Academia Montis Peſſulani aliquamdiu ſtudiis operam dedit. Hinc Italiam ingreſſus omnes pene urbes locosque celebriores inviſit, maximam tamen temporis partem Romae & Taurini conſumſit, inprimisque Allionio, Taurinenſium Medicorum celeberrimo, ſe applicuit, eoque duce ac Magiſtro in Botanicis uſus eſt. Poſthaec Vindobonam ſe contulit, & magnifica Divae Thereſiae Auguſtae inſtituta, quae ad medicinam ſpectant, accurate perluſtravit. Inde Sileſiacas Saxonicasque Muſas ſalutatum ivit; quo facto, ad patrios tandem Lares contendit, votaque pietatis erga Parentes dudum nuncupata perſolvit. Neque tamen natalis ſoli amore abſtrahi ſe pasſus eſt a deſiderio adſcitae patriae Civiumque ſuorum Surinamenſium. Itaque in Belgium reverſus quamquam multis curis tunc diſtraheretur & quadam quaſi noſtalgia laboraret, nobis tamen poſtremi tem-

po-

poris particulam dedit. Qua opportunitate ab amplissimo Roëllio promissi sui iterum iterumque admonitus accepit illam MS. dissertationem, quam ego postea cognovi dudum fuisse editam, & a Philippo Ouseelio titulos & jura Medici ambiente, in Franequerana Academia publico quondam examini submissam, sed paullo post, ut fere solent academicae chartae, oblivioni datam (*); quod forte nonnulli, quorum procax natura est, non magnopere mirandum esse dicent propterea quoniam anno hujus seculi nono prodierit, cujus saevissima hyems cum ad interitum multarum rerum fuisset fatalis, facile profecto aestum, quo hoc judaicae eruditionis specimen conscriptum & forte agitatum sit, restinguere potuerit.

Sed dicacitatem intempestivam fugientes Schillingium nostrum sequamur. Hic ergo multiplici scientia auctus, & exquisito librorum caeterarumque rerum, quae ad physicas & medicinales artes pertinent, ad

(*) Inscripta est: *Dissertatio inauguralis Philologico-Medica de Lepra cutis Hebraeorum, quam ex auctoritate magnifici Rectoris, D. Jacobi Rhenferdii, Ling. Orient. & Philol. sacrae Prof. Ord. pro summis in Medicina honoribus consequendis publico examini submittit Philippus Ouseel, V. M. C. G. B.* Franequerae ann. 1709.

apparatu inſtructus in Americam remigravit; ornatus etiam paullo ante diſceſſum publico munere, ſiquidem prudentes Societatis Surinamenſis Moderatores cum induſtriam ejus & honeſtatem cognoviſſent, Noſocomii Surinamenſis Cenſorem conſtituerunt. Ipſe a muneris hujus cupiditate tantum abfuit, ut illud aliquoties deprecatus, non tam praeſtandi, quod exigebatur, fiducia, quam negandi verecundia in ſe receperit. Eodem deinde ita eſt functus, ut veritati & publicae ſaluti liberaliter, ſibi ac tempori nequaquam ſerviverit. Cujus fidem & diligentiam cum valde laudamus atque Viro bono dignas eſſe agnoſcimus, tum vero moleſtias & detrimentum rei familiaris, quae inde manarunt, vehementer dolemus, nec minus temporis injucunde conſumti jacturam, quod ſane utilius ſuaviusque ſtudiis litterarum impendere potuiſſet.

Et haec quidem praecipuas inter cauſſas fuit, quibus factum eſt, ut ſerius, atque ipſe propoſuerat promiſeratque, ſuas in Ouſeelium animadverſiones conſcribere potuerit; praeſertim quod nudas mittere nollet, ſed notis & exemplis ſuam de lepra ſententiam illuſtrantibus comitatas. Quas cum ego tandem acceperim, non potui protinus recognoſcere, multis quippe

pe variisque negotiis implicitus & tunc pene obrutus. Nec multo post magna rerum mearum mutatio facta est, cum alma Mater Leidensis me, quem a prima juventute ad humanitatem litterasque ipsa instituit, deinde Sorori suae, Palladi Trajectinae, commendavit, hujus commodis pro viribus servientem ad se revocaret. In quo eventu ut summi Rectoris ac Domini voluntatem in dies plenius perspicio & veneror, sic praecipua retardatae editionis caussa est. Namque illius demigrationis turbo infirmum corpus graviter percussit animumque ita affecit, ut studiis ad tempus impar fuerim. Deinde convalescentem novae curae & varii generis officia ab opere non prorsus necessario me diu absterruerunt. Postea rem aggresso fortuita etiam sunt impedimenta quaedam objecta. Cum enim de locis nonnullis obscurioribus per epistolas cum Auctore agendum esset, harum complures vel interceptae sunt vel casu perierunt, ut utriusque nostrûm pares fuerint querelae, nec mihi nullus restet scrupulus

Quamobrem enixe rogo, L. B. ut opiniones Schillingii non omnino meas esse cogites, neque editori de omnibus libri argumentis cum Auctore convenire arbitreris. Sunt sane, de quibus adhuc dubito; sunt,

ſunt, quae accuratius inveſtigari & plenius debent exponi, ut ad uſum cultumque vitae & artis, quantum poſſe videntur, tantum valeant. Verum tamen pleraque ejusmodi ſunt, ut librum haud inutilem fore confidam. Quae quidem ſpes potisſimum me movit, ut in eo recenſendo nonnihil temporis mei collocaverim. Nec me piget, quae modo ſum profeſſus, adjectis levibus notis confirmare, & rerum in libro contentarum ſummas attingere.

Schillingius Arabes Medicos ſecutus nomen Leprae illi tribuit morbo, quem Graeci & Romani Elephantiaſin appellarunt. Neque hoc temere fecit, aut ſermonem medii aevi imitatus; ſed ut ſua ſibi doctrina conſtaret, facere debuit.

Idem ab Arabum doctrina hactenus deflectit, ut Elephantiaſin, quam illi diverſum a Lepra & prorſus diſtinctum morbum habebant, hujus mutatam tantummodo formam & inveteratae pedibusque peculiariter infenſae ſpeciem eſſe arbitretur. Atque hoc etiam ut credamus, pene perfecit.

Sed ultra progreſſus, Lepram Judaicam, a divo Moyſe magnà diligentià deſcriptam, nihil ab Elephantiaſi Graecorum diſtare contendit.

Utrique porro ſimilem omninoque conge-

genererem esse morbum Americanum, quem ipse ad naturam pinxit, vulgo *Boäsi* dictum, confidenter affirmat.

Denique famosam luem, quae a furiis bellorum sacrorum (dicam an sacrilegorum?) importata universam pene Europam diutissime afflixit, eandem & originem & naturam habuisse, existimat.

Quinque igitur morbos, Hebraeorum lepram, Graecorum Elephantiasin, lepram juniorum Arabum, malum Sancti Lazari seu Hierosolymitanum & Americanum Boäsi, uno leprae nomine complectitur; non tantum propterea, quoniam omnes communem ἀναισθησίας characterem, quo caetera cutis vitia carent, habere videntur; sed magis etiam ideo, quod ab eadem stirpe Africanà generatos esse perquam probabile est, Quo assumto utique consequitur, ut illi morbi, licet externis quibusdam notis dissimiles videantur, non tamen magis inter se differant, quam plantae ex iisdem seminibus natae, quarum folia, flores, fructus, pro diversitate coeli, soli & culturae plurimum variant, natura eadem est.

Huic vero sententiae, (si lepram Arabum & Elephantiasin Graecorum mittamus, quarum parilitas in controversiam non venit) omnes propemodum, qui de morbis

bis cutaneis ſcripſerunt, Medici refragantur, ipſe etiam noviſſimus Auctor, Ann. Carolus Lorry, Medicorum, qui Gallias hodie ornant, facile princeps, Vir antiqua & fide & eruditione. Hic enim in egregio opere, quod de his morbis nuperrime vulgavit, Richardo Meadio tanquam optimo ſacrorum iatricorum Interpreti adſtipulatus, lepram judaicam *vitiliginis* a C. Celſo (*a*) pictae eam habet ſpeciem, quam graeci ἄλφον nominarunr. Idemque leproſam luem inter bella Hieroſolymitana per Gallias late diffuſam nihil praeter vitiliginem priori ſimilem fuiſſe exiſtimat (*b*).

Quocirca ſi meam liceat ſententiam interponere, neque alterutri opinioni ex toto addictum, neque ab utraque prorſus abhorrentem me profitear.

Primo de veterum Hebraeorum lepra difficilem eſſe quaeſtionem video, & vereor, ut poſſit unquam ſatis explicari. De qua quidem Schillingius docte & copioſe, addo etiam probabiliter, diſſeruit, neque tamen omnem vel obſcuritatem vel dubitationem ſuſtuliſſe videtur. Nolim enim diſſimulare, me adhuc propius ab illo-

(*a*) Lib. 5. de med. cap. 28. n. 19.
(*b*) Vid. tract. de morb. cutan. Paris. 1777. pag. 373. & ſeq.

illorum abesse sententia, qui istam lepram ad genus vitiliginum adscribi volunt. A quibus tamen hactenus dissentio, ut mitiorem speciem, quae a Graecis ἀλφὸς nominata est, fuisse negem, utpote levius omnino, quam lepra est, vitium, quod ipse aliquoties vidi, cum quibusdam intermissionibus serpens & variis temporibus oriens desinensque vicissim. At vero graviori vitiligini, quam Graeci λευκὴν vocarunt, proxima omnino videtur; quae quidem, ut ait Celsus l. c. habet quiddam simile alpho, sed magis albida est, & altius descendit, atque etiam albos facit pilos & lanugini similes, denique quem occupavit, non facile dimittit.

Alterum vero vitium, gravis illa & diuturna expeditionum, quas *cruciatas* nominant, poena, diu dubitavi, utrum cum plerisque Auctoribus vitiligo, an potius cum Nostro elephantiasis haberi & appellari debeat. Nuper demum in posteriorem sententiam perduxit me Gregorius Horstius, Reip. Ulmensis quondam Physicus, Vir doctrina & usu insignis, atque in examine & cura illius mali, quod ipsius aetate nondum erat in Germania exstinctum, diu multumque versatus. Hujus Viri epistola exstat ad J. H. Hoefpnerum pridie Cal. Febr. an. 1624. scrip-

ta (*c*), quae notas ad diagnosin istius luis facientes magno studio & judicii acumine collectas exhibet. Has inter nominatim ponitur ἀναισθησία cutis, a Medicis Hispanis & Gallis, qui seculo XV. & XVI. de eadem lue scripserunt, non satis animadversa, & a nemine ante Schillingium tanquam certum leprae signum & vere pathognomicum proposita. Quamobrem Horstius jubet Medicos in exploratione leprosorum diligenter advertere, num aegri puncturas, quas Chirurgus acu fecerit, in cute percipiant. Idem emortua interdum membra fere *sine sensu* decidere; non tantum testimoniis aliorum fultus, sed ipso usu edoctus affirmat. Nam praeter alia exempla leprosum in nosocomio Ulmensi vidit, cujus inferior pes sponte & inscio aegro separatus atque in lecto repertus est. Quae quidem ejusmodi sunt, ut sententiam Schillingii apprime confirment, & mali Hierosolymitani cognationem cum Elephantiasi Graecorum & lepra Americana clarissime manifestent.

Neque tamen inficior, de genealogia illorum morborum & mutua necessitudine, pariter ac de nomenclatura posse adhuc in utram-

(*c*) Vid. Greg. Horstii oper. Tom. II. pag. 343.

utramque partem disputari; praesertim si australibus lepris illas comparemus, quas septem Triones alunt; quarum in numero *Melas Sibirica* eminet, quam Noster, (recte an secus dubito) prioribus annumeravit (*d*). Igitur criticam libri partem in medio relinquamus, nec tamen hac laude fraudemus; quod ad historiam morborum cutaneorum haud parum conferat, quin etiam Mosaicae de lepra doctrinae aliquid lucis afferre videatur.

Sed alia sunt nomina, quae Auctorem apud omnes rerum peritos de meliore, ut auguror, nota commendabunt; velut haec: quod morbi atrocis, insidiosi, versipellis & inter primordia cognitu perdifficilis, certiora signa, quam ante eum quisquam, dederit, ejusque varias formas accurate designaverit —— quod huic hydrae tanquam Hercules obviam ire & duellum inferre ausus, cum clavam idoneam nondum invenisset, arte & via maxime rationali instrumenta quaesiverit ad opprimendum monstrum, & ex armamentario medicinali elegerit, quae cum aptissima tum etiam maxime tuta essent — quod porro felici periclitationum suarum suc-

ces-

(*d*) Vid. post pag. 154.

cessu non elatus sordidos rudesque Aethiopes familiariter convenire, & in publicum usum, quae ab his didicerat, vulgare haud dubitaverit — denique quod Civium suorum amore & pietate erga Belgicam Matrem ductus, de contagione hujus pestis palam loqui & acriter monere non desistat, nec tantum medicamentis contra malum praesens, sed etiam metu animis injecto contra insidiosas ejus propagines strenue pugnet.

Equidem haud dubito, fore non nullos, qui cum legerint, quam levia sint leprae incipientis indicia, quam lenti saepe progressus, frequentiam ejus & contagionis periculum nimis jactari judicent, & fallaciam quandam vel opinionis vel phantasiae suspicentur. Nec diffiteor, utriusque magnam esse in pervertendo judicio potestatem. Quaecunque enim ipsi assidue tractamus & animo volvimus, his facile majorem, quam par est, vim & amplitudinem tribuimus, ut eorum etiam vestigia ubivis reperiamus. Ab hac communi hominum imbecillitate nec Medici nec Philosophi immunes sunt, quorum propterea multi naturam non in communi & aspectabili mundo, sed in suo quisque microcosmo, quaerere solent. Ut igitur inter Medicos nonnulli vermes, alii ob-

stru-

ſtructiones, quidam luis venereae indicia, multi hodie ſpasmos, nec pauci ſcorbutum, ubique vident, ſic forte Noſter lepram aliquanto frequentiorem eſſe, quam adhuc eſt, ſibi perſuadet, ac ſuspicionibus ex diuturna & aſſidua morbi contemplatione natis non nihil indulget. Demus & hoc, ne favor noſtro judicio nimium offeciſſe dicatur.

Ecquis vero neget, Reipublicae noſtrae, quin univerſae Europae, multum intereſſe, ut foediſſima lues & procul dubio contagioſa impediatur, quo minus ſerpat, tandemque ad nos perveniat? Quanquam enim Europae coelum & ſolum huic veneno parum favere videantur, certa tamen annalium fide conſtat, poſſe illud non modo in temperatis ſed etiam in frigidis regionibus ſemel illatum pullulare & longe lateque ſe ſpargere, nec tam facile expelli quam ſuſcipi. Quocirca tres praecipue epochas diſtinguere nobis licet, modo praeteritorum temporum memoriam usque ad priores Caeſares recolamus.

Elephantiaſin in Italia non ante aetatem Pompeii Magni accidiſſe, Plinius diſertis verbis tradit (e). Idemque teſtimonio confirma

(e) In prooem. ad Lib. XXVI. Nat. Hiſt.

matur Corn. Celsi, qui imperante Tiberio adhuc vixit, & tamen ignotum pene in Italia, frequentissimum in aliis regionibus morbum esse Elephantiasin affirmat (*f*). Verum non ita multo post ex Asia & Aegypto novi morbi, faciem atque cutim maxime infestantes, irrepserunt. Inprimisque duae species leprae, Tib. Claudii principatu, per urbem sparsae sunt, quae quidem, ut verbis Plinii utar, sine dolore & sine vitae pernicie erant, sed tanta foeditate, ut quaecunque mors praeferenda esset. Unam Romani primum joculari lascivia, deinde familiariter *mentagram* nominarunt, quoniam a mento fere oriebatur; quanquam paulatim totos ocparet vultus, oculis tantum immunibus, descenderetque in colla atque pectus nec manibus parceret. Alteram Elephantiasin, ut erat, appellarunt, quae quoniam in servitia & plebem maxime grassabatur, levior priore habita est. Cum enim mentagra a Perusino quodam Equite Romano ex Asia importata, Proceres potissimum affligeret, veloci, ut tunc conjiciebant, osculi transitu: factum est, quod hodie fieri in omnibus civitatibus solet, ut hono-

(*f*) De Med. Lib. 3. cap. 25.

noratiorum & principum virorum feminarumque morbi magna cum ostentatione praedicentur, & sermonibus hominum amplificati longe graviores, quam similia plebis ac saepe majora mala, habeantur. Caeterum haud absurda mihi conjectura videtur, binas illas leprae species ex iisdem seminibus ortas nec nisi forma ac sede diversas fuisse. Utcunque vero sit, certum est, eas tunc temporis nec late per Italiam vagatas esse, nec diu Aëri Romano & Medicis ex Aegypto illorum vitiorum genitrice accersitis resistere potuisse. Utique Elephantiasis celeriter, ut Plinius diserte scribit, in Italia restincta est (g).

Eadem vero aliquot seculis post ab Arabibus in Italiam Hispaniasque & oram maritimam australis Galliae iterum illata & latius fusa est. Neque tamen sub altera hac periodo in medias Europae regiones penetravit; sed paulatim velut planta exotica, suo & aëre & solo carens, suffocata est.

Tertia successit periodus, prioribus longior & funestior, cum imanis superstitio & hierarchica calliditas Christianos, paciferi nostri Domini oblitos, ad liberandam sci-

(g) In prooem. cit.

ſcilicet Hieroſolymam! per maria & terras, per vias & avia in Orientem agerent. Hinc enim revertentes praeter alia vitia lepram ſecum attulerunt, quae paſſim in veram elephantiaſin adolevit. Haec lues ſeculo XIV, forte jam XIII, illata omnes pene Europae gentes miſerum in modum afflixit, tamque altas egit radices, ut proximi ſeculi partem fere mediam attigerit. Cujus aſſerti veritas non indiget proli a confirmatione, ſiquidem ex epiſtola Horſtii, cujus mentionem paullo ante feci, apertum eſt, in temperatiſſima Suevia & in aliis Germaniae urbibus ab auſtro multum Ulmà remotioribus, venenum an. 1624. adhuc exſtitiſſe & paſſim viguiſſe. Neque ejus durationem & pertinaciam magnopere mirentur, qui ſecum reputant, quot millia hominum, quot gentes, furore illo hieroſolymitano perciti fuerint. Quam ob rem fieri ſane non potuit, quin ſemina leprae ab innumeris omnium ordinum hominibus e Syria & Aegypto allata perque omnes provincias jacta, hinc inde idoneam terram ſibique convenientem nanciſcerentur, in qua facile pubeſcerent actasque radices propagarent.

Ergo tribus periodis fatalibus defuncta caveat ſibi Europa, ne novam epocham Americana ordiatur lues! quae quidem in-

fer-

ferri tanto facilius posse videtur, quanto frequentiora sunt corporum dissimilium rerumque commercia.

Nec sane intempestiva haec habenda est monitio, nec vanum terriculum. Nam ut alia exempla praeteream, nuper admodum casus hominis ex America reversi, qui lepra satis aperta & Elephantiae jam proxima laborat, mihi propositus est, non ab imperito aliquo aut credulo homine, sed a Medico doctissimo & in arte diu multumque versato. Etenim clarissimus *Ph. Gabr. Hensler*, Physicus Civitatis Altonensis & Archiater Regis Daniae, aliquoties ea de caussa per epistolas mecum egit, e quibus delecta, quae ad propositum nostrum faciunt, cum Vir humanissimus veniam dederit, hoc loco breviter proponam,

Leprosus ille annum aetatis XLII. nunc agit; genere Germanus est; in insulis Americanis, quae sub potestate Danorum sunt, duodecim annos consumsit, minime otiosus nec valde sobrius. Nam inter assiduas & vehementes corporis exercitationes frequentesque peregrinationes, lauto semper victu usum esse, nec vino nec venere se abstinuisse ipse fatetur. Cujus intemperantiae poenas aliquoties luere debuit. Cum vero defervescente paulatim libidinum aestu

 re-

resipuisset, vagae Veneris pertaesus uxorem legitimo matrimonio sibi junxit an. 1773. Dehinc prospera valetudine usus est usque ad mensem Sept. 1774. Et ne tunc quidem de dolore aliquo aut molestia notabili questus est, sed prima vidit leprae pullulantis, sibi adhuc ignotae indicia. Quam vero levia! quam parum terrentia! Namque una tantum macula erat ad sinistrum genu, colore spadiceo, magnitudine lenticulam haud superans. Haec ut crevit paulatim, sic aliae similes secundum crus ejusdem lateris, deinde etiam juxta alterum eruperunt. Cum jam pedes ad genua usque aliquamdiu infecta fuissent, coepit vitium per femora adscendere, & clunes attigit. Tunc insulanus Medicus, cui se commiserat, cum alia pharmaca in cassum adhibuisset, ad corrosivum mercurium, tanquam ad sacram anchoram, confugit, sed successu tam parum prospero, ut malum etiam citius serperet omninoque exacerbaretur. Nam brevi post ipsam attigit faciem; deinde etiam bracchia, postremo abdomen occupavit. — Sic affectus Americam, calamitatis suae genitricem, pertaesus reliquit, & superioris anni medià aestate in Europam reversus est. Ab illo tempore morbus non alibi, quam ad ventrem, incrementa notatu digna sumsit. —

For-

Forma ejus externa in corpore haec eſt: ad crura & femora ſunt maculae latae, figurà & magnitudine admodum inter ſe differentes, quae cruris ſiniſtri tertiam, dextri quartam circiter partem occupant, aliquanto minus ſpatium ad femora & nates complent. In bracchiis pauciores ſunt, quam in reliquo corporis habitu. — Nec planae ſunt maculae, ſed duabus & paſſim tribus lineis ſupra cutim elevatae; quin aliquantum altiores circa genu, quod principio affectum fuit. — Color alius eſt recentium, alius vetuſtarum. Primitivus ex fuſco flavus ſenſim aliquid obſcuri ruboris adſciſcit. In abdomine diſcrimen hoc clariſſime cernitur, cujus quippe maculae vetuſtiores cum jam elevari incipiunt, tum etiam ex bruno rubent, noviſſimae adhuc flavae ſunt nec ſanam ſuper cutim eminent. Inter frigora proximae hiemis omnes liveſcebant. — Pedes quoque maculis, ſed minus elevatis notati ſunt, maxime ſiniſter, qui etiam a malleolis ad digitos usque modico oedemate tumet, magis ſub veſperam, quam mane. Et hoc in loco cutis amiſſa naturali ſequacitate finditur interdum ſic, ut albicantes ſquammas & inaequales formet; quae quidem ſponte non cadunt, ſed unguibus facile ſeparantur; quo facto viſcidulus humor exit. —

Pili

Pili omnes, ubi maculae in corpore ſunt, jam defluxerunt, relictis tamen veſtigiis, quae tanquam albida puncta, aliquantum profundius in cute ſita, conſpiciuntur. — juniores maculae, quae adhuc flavent, pungi nequeunt, quin homo acum percipiat. Obſcuriores & magis prominentes, etiam in abdomine, jam vacant ſenſu. Plena ἀναισθησία eſt in cute ſiniſtri genu, quae non tantum, quatenus exſtat, ſed profundius pungi inſcio aegro poteſt. — Caeterum maculae per corporis habitum ſparſae non ſunt duriores, quam ſana cutis; quin aliquanto molliores tangentibus digitis ſe praebent. — Sed in vultu alia omnino eſt vitii forma: Frons in confinio capilli adhuc immunis eſt — pariterque cutis juxta extremas maxillas, ubi maſſeteres ſiti ſunt, ſic ſatis naturalis apparet. — Reliqua facies miſere deturpata & velut larvata eſt — Nam ubi muſculus frontalis oritur, ibi cutis jam protuberare incipit, & magis magisque craſſeſcit ad ſupercilia usque. — Eadem deinde ab orbicularibus muſculis ſecundum elevatores labiorum, juxta naſum, circa os, ad mentum inferius usque, majorem adhuc craſſitudinem exhibet — Neque tamen in omnibus his locis aequabiliter tumet, ſed hinc & inde diſtincta

eſt

eſt tuberculis, mole & figurà diſcrepantibus, quorum interſtitia plicae ſtabiles & ſulci ſatis profundi occupant. —— Tubercula illa, ad genas majora, ad mentum & ſupra oculos minora, ſi digitis explorantur, ſpeciem duriuſculi ſteatomatis & ferme cartilaginis ſub cute latentis prae ſe ferunt. — Plicas ac ſulcos homo, quantumvis nitatur, explicare nequit; quoniam cutis in facie multum durior & craſſior eſt, quam ad crura. —— Color faciei in America ruber fuit; nunc ex obſcura rubedine brunus evaſit, colori aeris ſimillimus; isque conſtans eſt nec hieme alius quam aeſtate —— Supercilia & mentum pilis pene omnibus jam ſunt ſpoliata. Niger qui erat capillus, nunc canus eſt; forte tamen non a ſolo hoc morbo, nam ante eum caneſcere jam coepit. —— Circa mentum exiles paſſim puſtulae naſcuntur, capita acicularum aequantes, alba ſanie plenae. — Adhaec univerſum mentum, ex quo tempore homo in Europam venit, multam quaſi porriginem ſolet excernere, epidermide jugiter areſcente & furfurum inſtar dilabente. —— Naſus ſolito quidem rubicundior eſt, nec dum tamen colorem aeris habet; idemque ſi non ex toto, utique ad alas craſſior factus eſt. Nares etiam aliquantum

tum contractae & angustatae sunt. —— Neque auriculae prorsus immunes; quin jam tumidulae, propendentibus aliquantum lobis. Earum vero tumor varius & mutabilis est, juxta tragum semper maximus. —— Sentiendi facultas non aeque in vultu atque in corporis habitu abolita adhuc est, tamen obtusior in nodosis plagis quam in caeteris. —— Vox rauca est, sed aliquantum fuit ab ineunte aetate —— Caeterum Homo bene valet, nec morbo interno laborare videtur. Appetit pro more cibos fertque commode & concoquit; nec ventrem inobsequiosum habet, nec linguam sordidam, nec pulsus arteriarum aut frequentiores aut minus aequabiles. Sub calido Americae coelo multum sudare solebat, nunc parum & fere nunquam sudat. Corpus tamen libere & frequenter exercet, nec defatigationem citam nec spirandi difficultatem experitur, nisi cum per acclivitates ambulat; & ne tunc quidem multo magis, quam alii homines, qui sani habentur. Denique concubitum ut semper solebat, adhuc concupiscit, sed enormes illos veneris stimulos, quibus Elephantiacorum complures agi dicuntur, non percipit.

En adumbratam imaginem hominis, qui cum proficiscens in Americam integra sani-

nitate frueretur, turpissimo malo affectus & terrificà quasi personà indutus rediit! Nec sane dubitari potest, quin brevi tempore eminentem Elephantiaci effigiem in fronte hujus libri expressam, nisi vel arte vel morte monstrum antevertatur, sit consecuturus.

Jam vero quod huic homini evenit, idemne aliis pariter accidere potest? Quid dico, potest? Novimus enim jam accidisse. Atqui unus leprosus, dum liberis operam dat, nonne foeditatis semina propagabit? Et vel extra conjugium annon variae transitus occasiones esse possunt?

In hoc viro manifestum est vitium, & oculos animosque hominum protinus offendit. An nulli sunt, qui idem vestibus tectum gerunt? Neque enim semper a facie incipit. Etsi in hac erumpat, principio leve est, & vix animadversione dignum. Quocirca non modo Schillingius luculentum proposuit exemplum (*h*) sed jam olim Plinius (*i*) illustre documentum dedit, ubi primam Elephantiasis epidemiam, qua Romanorum superbia & luxu-

(*h*) Pag. 182. n. II.
(*i*) In Hist. Nat. l. c.

xúries caſtigatae ſunt, narrans, morbum; ait, a facie ſaepius orſum eſſe, ſed initio tam exili, ut non niſi unam veluti lenticulam ad narem faceret. —— At vero longe frequentius eſt, ut maculae, priusquam vultum contaminent, ad pectus, ad bracchia, ſub axillis, prodeant. Saepiſſime ad artus inferiores, circum pudenda vel ad nates efflorefcunt. Nec raro ubi prodierunt, immutatae diu inſiſtunt nec protinus multiplicantur, ſed veneno velut intus cohibito lentiſſime creſcunt, tarde ſemet ſpargunt. Ecquis tanta eſt ingenii & oculorum acie, ut tales maculas, veſtibus ignorantis aut conſilio diſſimulantis aegri occultatas, adeſſe conjiciat?

Quae cum ita ſint, neminem ſpero fore, qui Auctori vitio vertat, quod palam de contagione loquatur, ejusque periculum usque & usque oſtentet, ac neceſſitatem curae & cautionis adhibendae etiam atque etiam urgeat.

Poſſem nunc, ſi animum laudandi Viri haberem, veris ejus meritis, quae leviter attigi, alios laudis titulos, quibus dignus eſt, adjicere. Poſſem egregias de morbo *Yaws* obſervationes, quas ante octennium edidit, proferre, & quantum noviſſimis praeſtent, facta comparatione oſten-

ostendere (*k*). Neque enim dubito, quin ipse illustris Lorry, cum veri amantissimus sit, si illarum notitiam habuisset, sua de *Yäws*, de *Lepian*, de *crabis* dogmata (*l*), ad earum normam exegisset & passim mutasset. — Possem Schillingii diligentiam in observanda natura & in perscrutandis etiam mortuorum corporibus, veri inveniendi caussa sectis, praedicare, cujus non contemnendum dedit specimen in *becade casuum rariorum*, quae commentationi modo memoratae adjecta est. — Sed malo monere quam laudibus extollere Amicum, nec dubito publice eum hortari, ut insidiosi teterrimique morbi, de quo in hoc volumine scripsit, indolem, vias & latebras speculari atque explorare pergat, imprimisque medendi rationes & idonea adminicula usque scrutetur. Hic enim locus cum sit omnino praecipuus, siquidem maxima medici virtus in actione consistit, tum vero nequaquam satis adhuc explicatus est. Nam ut alias taceam difficultates, tres illae plantae contra lepram ab Aethiopibus adhi-

(*k*) Diatribe de morbo in Europa pene ignoto, quem Americani vocant Yaws. Ultraj. 1769.
(*l*) L. cit. p. 389—397.

hiberi solitae, quarum icones ad calcem libri positae sunt, non tantum *medice*, quod ipse fatetur, sed etiam *botanice* aliquanto curiosius, quam factum est, examinari merentur. De quibus quoniam dubitationes meas brevibus notis complexas suo loco proposui (*m*) nunc nihil amplius dicam.

Et sane jam meo erga Auctorem officio defunctus mihi videor; nec tamen committere possum, ut duo nuntii, quos novissimae ejus litterae attulerunt, hac temporis & loci opportunitate frustrentur. Unus ad Medicos pertinet, alter ad omnes Naturae Studiosos. Uterque aliquid novi habet, & materiem meditandi atque experiundi affert uberrimam.

Medicinalis animadversio spectat fruticem illum, quem prima tabula repraesentat, *Tondin* a Surinamensibus dictum, cui *Paulliniae pentaphyllae* nomen competere arbitror. Hic cum Schillingio visus esset in leprosis corporibus maxime urinas pellere, nec parum sudores movere, adhiberi etiam contra alios morbos, qui his viis curari debent, ab eo coepit, & talem in hydropicis se praestitit, ut optima quaevis medicamenta, qui-

(*m*) Vid. pag. 199. 201. 202.

quibus medici uti ſolent, hoc titulo ſuperare videatur. Nam praeter alia exempla noviſſime tres homines Africanos & unum Europaeum, quos hydrops anaſarca & aſcites adeo tenebant, ut deſperati haberentur, ſub ejus uſu ex toto ſanatos Schillingius memorat, addens, ſe ligno fruticis, dum ex aqua coquitur, ſcorias ferri adjicere, dein percolatum liquorem ſyrupo communi temperare, poſtea ſpatio 24 horarum ſinere fermentari; ſic enim praeparatum aetatem ferre; ejus vero tres quatuorve uncias ter de die aegro bibendas dari; inde cutis pariter ac renum meatus mirabiliter aperiri; ſubinde alvum quoque ſolvi, quod tamen quoniam haud tutum ſit, praeverti oporteat. — Et haec quidem narranti mihi opportune ſuccurrit, quod Richardus Meadius, inter principes Medicos merito habendus, alicubi ſcripſit: *non aliud dari adverſus foedum leprae morbum praeſtantius remedium quam tincturam e Cantharidibus* (*n*). An igitur quae eximia urinas movendi virtute pollent, haec maxime leproſis conveniunt? Favet huic conjecturae obſervatio, multa cutis vitia per urinas judicari ac ſolvi docens. Fa-

(*n*) In Medic. Sacr. Cap. 2. p. m. 18.

Eàque aſſumtà intelligitur, qui fieri poſſit, ut medicamenta ſibi prorſus contraria eundem cutis morbum ſanent; quo nihil evidentius eſt in ſcabie epidemica, quippe quae *oleo vitrioli* perinde ac *liquore nitri fixi* feliciter curatur. Harum rerum altera cum alteri ex toto adverſetur, quid quaeſo eſt, in quo ratio ſimilium effectuum, ex remediis diſſimillimis proficiſcentium, ſita ſit, niſi nobis liceat e facultate diuretica omnibus communi eam repetere? quanquam negare nolim, Paulliniae illi praerogativam forte aliquam eſſe a natura tributam; quin etiam ut talem vim ſingularem habeat, eamque Medicis Europaeis per experimenta, non ad tempus, quod fieri ſaepe ſolet, ſed ad perpetuum artis uſum approbet, vehementer opto.

Alter nuntius eſt de Surinamenſi anguilla, cui ab Ichthyologis nomen *Gymnoti electrici* datum ideo eſt, quoniam a natura facultatem ingenitam habet aetheris electrici circum ſe ita commovendi, ut vicina corpora & aliquantum etiam diſſita quatiat ac pulſet, hominesque, qui ejus vim periclitantur, haud ſecus ac *lagena Leidenſis* ad concuſſum electricum accommodata, & interdum multo vehementius, afficiat. Hac ſcilicet virtute ſimilis eſt

Gym-

Gymnotus, quin immo plurimum antecellit *Rajae* illi, quam Romani *Torpedinem*, Graeci ναρκην appellarunt, quoniam vim quasi narcoticam exserens tangentium membra stupefacit. Uterque armis electricis non modo contra metum & vim se defendit, sed iisdem etiam ad pastum sibi parandum, tanquam telis venatoriis, utitur, quibus alios pisces eminus conficit, utique sic consternat, ut attoniti nec fugere nec resistere possint, atque astuto praedoni arbitrarium in usum cedant. Quod cum inter admirabilia & paradoxa habitum semper est, tum vero cognitis hodie electricitatis legibus magna ex parte intelligi potest, modo talem in corpore illorum piscium structuram, saltem organum aliquod voluntati obtemperans, esse ponamus, cujus interventu spiritus electricus concitari atque ad scopum dirigi queat. Neque enim quisquam in hodierna physices luce dubitare amplius potest, quin idem elementum, cujus motu electrica spectacula eduntur, etiam Torpedini & Gymnoto jaculandi materiam & velut missilia praebeat; praesertim postquam illustris Walshius unum, quod in analogismo desiderabatur, criterium, lucem ac scintillam, inter nisus & jaculationes Surinamensis anguillae non tantum ipse vidit, sed etiam in conventu no-

 bi-

bilissimorum Virorum Londini demonstravit (q). Quodsi cogitatius, quae a communi aëre fiunt, expendamus, haud sane parum, ni fallor, de admirabilitate torpedinum detrahetur. Non lubet de vento, de procella, de turbine loqui, nedum ficti furores Aeoli memorare, cujus vani sunt impetus sine animabili illa spirabilique materie. Solum hominem, Te ipsum, L. B. contemplare mecum. Data nobis sunt ad vocem & loquelam organa. Num quae horum alia efficacitas & vis est, quam movendi moderandique aëris? Aëre sublato, nonne iners apparatus, inanes, utut fortes, sunt molitiones nostrae? Quam vero mirabilia opera solus fere aër, ab illis organis apte incitatus, perficit? Nonne oris flatu distantem exstinguimus candelam? Nonne animum auxilio aëris effundimus & ad magna saepe intervalla cum aliis communicamus? Quot & quam varias flexiones, & pene dixerim cincinnos idem concipit aër, cum voluntati nostrae & organis obsequens sonos lenes aut asperos, blandos aut duros, incredibili varietate ac velocitate, quo jubemus, ceu fidelis minister defert?

(o) Vid. Epistolam Clarissimi *Le Roy*, Academici Parisini, in Journal des Sçav. Decemb. 1776. edit. Amst. p. 493.

fert? Quid? si forte homo indignatione aut irà commotus intendat loquelae facultatem, si sono immani minatur & quasi tonat, si furiosa vociferatione vicinos stupefacit, abeuntes persequitur & magno saepe spatio distantes ferit conturbatque: quo tandem adminiculo praeter aërem utitur? Quidni ergo subtilior aëre & velocior & penetrantior aether, si idoneo cieatur instrumento, valebit? —— Atque illud *perpetuum Electrophorum*, quod natura nonnullis piscibus tribuisse videtur, ne quidem valde complicatum esse conjicio, partim observationibus excellentium Virorum, qui illos inciderunt, partim analogia ductus. Non utar nunc exemplo vitri communis, quod quam facile ad concussum electricum aptari possit, inter omnes constat. Nec *Torpedinis simulacrum*, quod inter novissima Electrophilorum inventa habetur, adducam. Sed unum lubet *Tourmalinum* hoc loco proferre. Iners lapillus & exanimis est, ac structuram, quoad assequimur, satis simplicem habet, sed tamen a natura sic comparatam, ut aetherem electricum non modo facillime mittat ac suscipiat, sed hunc etiam sine aliena ope ad certas vias & ordinatos cursus adstringat. Neque hoc tantum facit attritu aut sicco calore excitatus, sed quod ad nostrum

propositum apprime facit, etiam mediis in aquis concalefactus; siquidem adhuc madens si subtiliter exploratur, polos quasi electricos, omninoque talem monstrat aetheris dispensationem, qualis ad patrandum concussum requiritur. Quid? quod idem lapillus solo follis flatu agitatus varios electricitatis sive gradus sive species in variis corpusculi sui partibus exhibet. Hunc ergo si animatum fingamus & ad spontaneos motus ex interno principio ciendos aptatum, credibile profecto est, pariter ac Torpedines electricum aetherem sub sua potestate habiturum — Nec sane solus inter lapides Turmalinus est, cujus textura aetherem ad definitas quasi lineas cogit, sed caeterae etiam gemmae, crystalli, silices, omnia denique vitra nativa & his propinqui lapides, aliquam regundi aetheris aptitudinem, licet minus evidentem, quam Turmalinus, nacta sunt, ex partium, quibus constant, forma & nexu proficiscentem. Ex qua ego caussa prodigiosum phaenomenon, quod in *Ovis Philosophicis* ab exiguo silicis frusto perinde atque ab Adamante immisso producitur, repetendum esse suspicor. Ab his ergo orsa analogia ducit nos paullatim ad aliquam *Elasterii electrici* notionem, quod illis piscibus datum non eget externo motore.

Quae

Quae cum ita ſint, Torpedinum etiam calliditas, qua ſe ab hamo piſcatorum quandoque vindicant, Graecis Latinisque verſibus olim celebrata, nequaquam ab ingenio poëtico ficta haberi debet, ſed ad ipſam naturam expreſſa videtur. Veriſſime enim Claudianus cecinit (*p*):

Si quando veſtita cibis incautior aera
Hauſerit, & curvis frenari ſenſerit hamis,
Non fugit, aut vano conatur vellere morſu,
Sed propius nigrae jungit ſe callida ſetae,
Et meminit captiva ſui, longeque per undas
Pigra venenatis effundit flamina venis.
Per ſetam vis alta meat, fluctusque relinquit
Abſentem tentura (*q*) *virum. Metuendus ab imis*
Emicat horror aquis, & pendula fila ſecutus,
Tranſit arundineos arcano frigore nodos,
Victricemque ligat concreto ſanguine dextram.
Damnoſum piſcator onus praedamque rebellem
Jactat, & amiſſa redit exarmatus avena.

Etſi enim harundo & filum, quibus piſcator utitur, dum ſicca ſunt, electricum ſpiritum non facile transmittunt, poteſt tamen & interdum debet contingere, ut ma-

(*p*) In Eidyllio 3. quod inſcribitur: *Torpedo.*
(*q*) Mallem legere: *Tactura*; quod cum latini ſermonis conſuetudini tum menti poëtae & naturae rei melius reſpondet.

madefiant; quo facto haud secus ac perticae & catenae metallicae trajectionem commodissimam praestent necesse est. Quae cum legibus electricae naturae consentanea sunt, tum ab experientia jam satis confirmata fuerunt. Nam celebris Bancroftus praeter alia phaenomena, quae a gymnoto edita vidit, hoc etiam memorat, hamo forte captum vehementi concussu hominem, qui filum tenebat, ac stupore quodam affecisse.

Satis dictum est de Torpedinum electrica potestate, de qua multi clarissimique Viri nostra aetate scripserunt. Venio nunc ad earundem *magnetismum*, de quo solus Schillingius, utique primus, aliquid litteris prodidit (*x*). Nam qui post eum de hac re commemorarunt, cum numero pauci sunt, tum omnino nullus eorum experimentis vel ad confirmandum vel ad refutandum usus est. Vi-

(*r*) In *Observ. Phys. de Torpedine pisce*, Dissertationi de morbo Yaws subnexa. Ubi proprio Torpedinis nomine, tanquam appellativo usus est, nec Rajam electricam sed Gymnotum significare voluit —— Eadem observatio inserta est Actis Berolinensibus ann. 1769. vol. 25. —— Conf. Natuurkund. Verhand. derde Deel pag. 316. —— Item Hedendag. Vaderl. Letter- Oeffen. en Mengelw. part. 4. fasc. 2. pag. 491.

Videturque primus de hoc prodigio nuntius plane non perveniſſe ad eos, qui periclitandi opportunitatem habuerunt. Nam generoſus ille electricorum piſcium venator ac ſpeculator, Walshius, qui nec ſumtibus nec labori pepercit, neque peregrinationes illorum cauſſà facere detrectavit, ſi fama ad eum perveniſſet, cum copiam piſcium haberet; dubium non eſt, quin mirabilem horum magnetiſmum ſuis ſtudiis & periculis pariter dignum atque electricitatem judicaſſet. Sunt autem Phaenomena, e quibus Noſter Gymnoti cum magnete affinitatem collegit, fere ſequentia:

Acus nautica prope labrum, in quo piſcis aquà circumfuſus eſt, poſita non quieſcit, ſed aſſidue huc & illuc movetur, — Piſcis ipſe, admoto propius magnete ſive naturali ſive artefacto, conturbari videtur, & fugam moliri, ſuoque habitu ſpectatoribus perſuadet, percipere ſe aeſtum magneticum; remoto lapide tranquillatur. — Quod ſi generoſus aliquis magnes non juxta labrum, ſed in libramento aquae ponitur & firmatur, extemplo piſcis jactare corpus & variis modis torquere incipit, palpitat, huc & illuc luctans fertur, multiplicat niſus, tandemque velut victus ad magnetem accedit, eique exanimis inſtar ferri ad-

adhaeret. —— His periculis defunctus languet; jamque manibus tractari & vel vexari impune potest, ut arma sua, utique animum & facultatem illis utendi, amisisse videatur. —— Marcidus & iners diu manet, si praeter aquam & cibum nihil accipiat; sed potest cito refici adhibitâ arte. Etenim arenâ martiali aut ramentis limati ferri per aquam liberaliter jactis brevi convalescit & pristinam alacritatem ac robur recuperat; quo sane nihil potest esse mirabilius, nihil ad incitandas Poëtarum venas aptius. Namque & mihi, versibus ludere non docto, versus in memoriam revocat, quos cum olim Claudianus (y) de magnete lapide finxerit aliquanto licentius, ego huic *animali* velut *magneti* melius congruere opiner.

Ex ferro meruit vitam, ferrique rigore
Vescitur; has dulces epulas, haec pabula novit;
Hinc proprias renovat vires; hinc fusa per artus
Aspera secretum servant alimenta vigorem;
Hoc absente perit, tristi morientia torpent
Membra fame, venasque sitis consumit apertas.

Sed ut nihil dissimulem, mihi haec miracula

(y) In Eidyll. 5. *Magnes.*

cula & principio, cum ab Amico narrbantur, & poſtea quoties animum ſubibant, non eam viſa ſunt vim habere, ut novam in gymnoto virtutem declararent; ſed omnino talia, quae a piſce electrificatore exſpectari poſſint, ſi oblatis corporibus magneticis irritetur. Itaque manſit apud me ſuſpicio rationis non ſatis temperanter ex phaenomenis concluſae. Nam primo acus nauticae a gymnoto parum diſtantis irrequies nequaquam certum de magnetismo teſtimonium praebet, quippe quam electricas inter periclitationes ſaepiſſime vidi. — Deinde motiones, contorſiones, ictus crebri, quos anguilla poſito in ſummà aquà magnete facit, videbantur mihi irritatae & impetum in hoſtem facientis animantis, neutiquam magnetismi, indicia eſſe. — Nec abſurdum erat, credere, quo plures fortioresque niſus ediderit, hoc magis defatigatam eſſe, eoque longiorem ſequi languorem, detenſo ſcilicet & laxato nimium electrophoro. — Neque illud me morabatur, quod Gymnotus poſtremo ad lapidem accedat & adhaereſcat, ſicut ferrum. Hoc enim partim ingenio animalis tribuebam, mittere ſua tela in res, quas appetit vel depellit, dein ubi eas penitus quietas videt, accedere ſoliti, partim arenae ferriferae, quam flumina Americae vehunt,

hunt, cujus insignem quandoque copiam unguinoso anguillae corpori adhaerescere conjiciebam, propterea quoniam ipse Schillingius polos magnetis, post gymnotum sponte digressum vel manu remotum, aliquoties animadvertit elimata quasi scobe ferrea conspersos. — Denique diuturnus gymnoti, tot molestias perpessi, marcor haud sane multum me movebat; cum nullae sint animalium vires inexhaustae. Itaque reparationem potestatis electricae non ferreis alimentis, non Marti medenti, sed tempori, rerum & consumtori & instauratori maximo, attribuebam; intercurrente tamen conjectura, forte gymnotum enervatum pariter ac virginem imbecillem & chloroticam sumto ferro refici.

Haec phaenomenōn a Schillingio notatorum interpretatio, quam electrica piscis indoles suggerebat, adeo animum meum a magnetismi miraculo alienaverat, ut inde jam ab aliquot annis, seposita omni dubitatione, de illo sciscitari & vel cogitare neglexerim, praesertim quoniam apud omnes, qui gymnotum interea explorarunt, altum de hac re silentium animadvertebam. Sed ecce! allatam nuper epistolam, in qua scribit Schillingius: *constantia esse & usu probata de gymnoti magnetismo experimenta, sibique spem esse rerum utilium in-*

inde deducendarum. Utinam plenius scripsisset! Sed spero brevi facturum. Neque enim aegre feret Amicus, si fatear, me magna in curiositate esse, sed nequaquam adhuc persuasum.

Equidem quae Vir fide dignissimus vidisse se & iterum iterumque explorasse affirmat, ego sane verissima habeo, & talia prorsus, qualia narrat, cum ipsi apparuisse tam aliis apparitura esse nullus dubito. Sed ex visis veras rerum similitudines & differentias aestimare, nedum interiores earum rationes deducere, arduus labor est. Ego sane saepenumero expertus dolui illam difficultatem, quam Hippocrates κρισιν χαλεπην nominavit. Nec puto uberiorem errorum fontem esse quam festinatum Analogismum. Haec enim argumentatio a simili proficiscens cum caeteris facilior est, tum vero nisi cautissime instituatur, omnibus fallacior existit. Inductionis autem Baconianae severitatem tueri & ubivis servare, quis est, qui possit, nisi summo ingenio incredibilem patientiam adjungat? Quae quoniam in Schillingio nostro haud mediocria sunt, licet nobis confidere, eum suae sententiae talia aliquando prolaturum argumenta, quae suspensum adhuc animum dubitatione tandem liberent. Omnes vero Naturae Curiosos oro & obtestor, ne

ne occasiones explorandi admirabilis hujus magnetismi, si quas nanciscantur, praetermittant.

Habet haec res magnam, ni fallor, in quaestionibus naturalibus vim. Si enim animal, cui absque externo adminiculo pa-ret aether electricus, etiam magnetis effluvia percipit; si illum commovendo haec quoque turbat; si electrophori sui immoderata intentione debilitatum ab his superatur, & ad magnetem appellitur: haud parum roboris illorum accedet opinioni, qui caussam & materiem utriusque virtutis eandem esse conjiciunt.

Inprimis vero ad illustrandum *animalem magnetismum* ejusque in medicina usum faciet. Hoc enim nomen quanquam hodie ab hominibus familiariter adhibeatur, tamen inanis adhuc vocis sonus haberi debet. Itaque Antonius Brugmans, Vir celeberrimus, qui magneticas corporum affinitates summo studio persecutus est, multisque experimentis nuper ostendit, plerisque rebus magnetismi elementa aut ferri semina inesse, ab animali magnetismo prorsus se abstinuit, quoniam quaecunque adhuc de eo prolata sunt, vaga & fluctuantia esse intelligebat (*t*). Nec ta-

(*t*) Vid. Ant. Brugmans magnetism. Leid. 1778. in Praef. p. 6.

tamen dubito, quin Philosophi hanc quaestionem, quae adhuc inter Medicos fere solos agitatur, sua etiam speculatione dignam aliquando habituri sint; nisi forte rumores, qui de magneticis curationibus nuper dissipati sunt, cum jam senescere incipiant, penitus exstinguantur.

Novum profecto non est, magnetem ad usum artis salutaris adhiberi; nec tantum titulo ferriferi lapidis & haematiti similis, quo nomine ab omnibus omnium seculorum Medicis laudatus est, sed inprimis etiam ob mirabilem trahendi repellendique ferri facultatem. Utique Sacerdotes celebris templi, quod in Thraciae insula, Samo, olim fuit, cum rebus medicinalibus perinde ac religiosis & politicis studerent, *annulos* e ferro, magnetica vi impertitos, facere jam solebant, & opem petentibus tanquam alexiphthonos cordique ac nervis amicos cum magna commendatione venditabant. Hujus moris antiquitatem vel ex hoc colligere nobis licet, quod Lucretius Carus cum experimenta de contrariis magnetum impulsionibus institueret, talibus quoque annulis usus esse videatur; ait enim (z).

Fit

(z) De Nat. rer. Lib. 6. p. m. 826.

Fit quoque, ut a lapide hoc ferri natura recedat,
Interdum fugere atque ſequi conſueta viciſſim.
Exſultare etiam Samothracia ferrea vidi,
Et ramenta ſimul ferri furere intus aënis
In ſcaphiis, lapis hic magnes cum ſubditus eſſet.

Nec ſemper *annulos* illos *ſoſpitales* e ferro ſolo pararunt, ſed interdum ex auro factis exilem magnetem loco gemmae inſeruiſſe, interdum ferreos auro vel obduxiſſe vel certe ornaſſe videntur. Nec brevis fuit laus eorum & exiſtimatio, ſed ſatis conſtans ac diuturnus, etiam apud Romanos, uſus fuiſſe videtur. Quanquam enim Plinius, ubi miracula & medicamenta magnetica narrat (*a*), vim alexipharmacam non commemoret, tamen alibi ſic loquitur, ut eam nec ignoraſſe nec ſpreviſſe videatur. Etenim ſeculi ſui luxum alicubi increpans, *ſervitia*, inquit, *jam ferrum auro cingunt.* Quo loco dubitari vix poteſt, quin iſtos annulos intellexerit; ſiquidem licentiae hujus originem ipſo nomine declarari monet, ſcilicet *in Samothrace id inſtitutum fuiſſe* (*b*). Et vero mihi ſimile videtur gemmam illam nigram, quam Romani *Samo-*

(*a*) Plin. Hiſt. Nat. l. 36. cap. 16.
(*b*) Idem lib. 33. cap. 1.

mothraciam (*c*) appellarunt, elegantioris ac laevigati magnetis ſpeciem fuiſſe. Adhaec certum eſt, artem magnetificandi ferri Romanos tunc nequaquam latuiſſe, tametſi noſtra demum aetate perfecta ſit. Idem enim Auctor expreſſis verbis ſcribit (*d*): *ferrum vires a lapide accipere, & longo tempore retinere, aliud apprehendens ferrum, ut annulorum catena interdum ſpectetur.* Addit: *hoc imperitum vulgus ferrum vivum appellat, vulneraque tali aſperiora fiunt.* Ubi animadverſione dignum eſt, quod nomen *vivi ferri* ignaro vulgo tribuat idque improbet, de gravitate vero vulnerum ferro tali inflictorum ipſe perſuaſus fuiſſe videatur. Unde iterum eluceſcit opinio illa, quam apud veteres invaluiſſe diximus, de magnetici aetheris in corpus humanum influxu.

Poſtquam vero Galenus regnare coepit, & pene omnes omnium gentium Medicos ſub imperium ſuum redegit, magnetis uſus, de quo hic loquimur, ſenſim eviluit & vetuſtate penitus exolevit, usque dum Theophraſtus Paracelſus eum revocare inſti-

(*c*) Idem lib. 37. cap. 10.
(*d*) Idem lib. 34. cap. 14.

ſtituerit. Ambiguus hicce Vir, magno ingenio ſed valde heteroclito praeditus, & inter praecipuos rerum ac naeniarum inventores habendus, praeter alias novitates etiam *magnetiſmum & ſympathiam* inſtrumentis therapeuticis adjecit, horumque beneficio miracula praeſtitiſſe fertur. Ejus certe *Hoplochrismata*, *unguenta armaria*, *emplaſtra magnetica*, caetera magnetiſmi arcana, non modo dum vivebat, ſed diu poſt mortem inventoris, praecipué vero ſub exitum ſeculi XVI. magnam famam conſecuta ſunt, & uberrimam diſputandi altercandique materiem cum Medicis tum Philoſophis praebuerunt. Eadem deinde quum leve & credulum vulgus ſuperſtitioſà admiratione ſenſim impleſſent, excitarunt etiam Theologos nonnullos, ut rei accuratius cognoſcendae & ad leges divinas exigendae operam darent. Sic factum eſt, ut docti quidam viri, qui ſe plurimum ſapere in phyſicis credebant, magnetiſmi & ſympathiae prodigioſas vires ex cauſſis naturalibus interpretari ſuſtinerent, alii contra corpuſculari Philoſophiae diffidentes rebusque metaphyſicis magis dediti, Cacodaemonem illarum curationum effectorem haberent, quas proinde impias & omnino vetandas cenſebant: Et tamen a neutra parte, quod vehementer miror, veri-

ritas factorum impugnata fuit; utrimque in rationibus enucleandis acriter, sed frustra, laboratum est. Hujus generis controversiam Rudolfus Goclenius, Philosophus, & Johannes Roberti, Theologus, ineunte seculo superiore inter se habuerunt, cui non invitatus immiscuit se Helmontius major, acerrimus paracelsicae doctrinae vindex. Atque hic tandem veras magnetismi animalis leges & polorum, si Diis placet, jura patefecit mortalibus atque exposuit. Cujus sublimis & reconditae scientiae specimen aliquod ab hoc loco & a tempore nostro haud alienum esse videtur.

Plures ergo sunt (ex Helmontii sententia) in hoc universo constituti a Deo magnetismi; sed omnes ad usum hominis ordinati. Neque enim aptiore vocabulo designari possunt virtutes rebus insitae, quibus ad magna saepe intervalla in se agunt invicem. (Intelligis L. B. magnetismum illi fere fuisse rem, quam postea Newtonus attractionem vocavit). Haec virtus maxime spectabilis est in magnete lapide, nec minus tamen in aliis corporibus efficax. Magnes hoc titulo *simulacrum universi* & velut *epitome naturalium potestatum* est. Isque vim habet non modo ferrum sed etiam alias res, & nominatim partes corporis humani, cum ad se tra-

hendi tum viciſſim repellendi. Itaque duobus modis in Medicina adhiberi poteſt. Sive enim partes relaxatae prohiberi debeant, ne vel elabantur ipſae, vel humores vitales elabi ſinant; ſive aliquid e corpore educi oporteat: ad utrumque paratus & idoneus eſt, modo peritâ tractetur manu & praeſenti hominis conditioni convenienter dirigatur. —— Scilicet dorſum magnetis (ſic vocat auſtralem partem) praecipuam pellendi poteſtatem habet; venter ejusdem, id eſt polus borealis, ad continendas res maxime naturâ comparatus eſt. —— Dorſo igitur ſuo magnes ut ferrum ſic e. g. inteſtina pellit, ideoque hernias curat; pariterque catarrhos & omnes fluxus, qui de natura martis ſunt, moderatur & reprimit. — Venter magnetis ad femora rite applicatus dici non poteſt, quantopere parturientes juvet, trahens quaſi foetum & onus leviſſimum reddens. — Quodſi polorum vires apte conjungantur & ad unum ſimul propoſitum accommodentur eſt, quis eſt, quin videat, unitarum ſtupendam fore actionem, ſiquidem parvae etiam res concordia incredibiliter creſcunt? Quamobrem in partu admodum difficili venter magnetis ad femur, dorſum ad lumbos adhibita, promtiorem, quam Lucina & Juno, opem ferent. —

Sin

Sin vero abortionis metus ſit, & vel praeſens periculum, tuto certoque ante verti poteſt, in femore dorſum, in lumbis ventrem emplaſtrando; praeſertim ſi rebus fere deſperatis magneti *muliebris mumia* adjungatur — Quae quidem exempla ab ipſo Auctore poſita clariſſime docent, quam late pateat magnetismi animalis uſus. Si enim principia helmontianae doctrinae a medicis certa rataque habeantur, quid tandem eſt, quod magnetnm auxilio effici poſſe deſperent? Utique Methodici, qui tria morborum genera eſſe dicunt, unum adſtrictum, alterum fluens, tertium mixtum, non indigebunt alio praeter magnetem inſtrumento. Magnes laxatis aeque ac ſtrictis fibris ſuccurret, modo via & ordine adhibeatur. Eidem nec lens opacata nec ſerena gutta reſiſtet. — Atque ut praeſtantia hujus admirabilis compendii plenius intelligatur, addi convenit, quod idem Helmontius inprimis praedicat usque & urget: neceſſarium nequaquam eſſe, ut magnes ipſum, cui operari debet, corpus tangat; eum enim non magis in craſſam molem agere, quam in ſubtiles halitus, quos cum ipſa hominum corpora tum res omnes ab illis paullo ante excretae emittant. Atque hinc etiam ſympat-

patheticae curationesfluunt & intelligun-tur (*n*).

Sesqui ſeculum jam elapſum eſt, ex quo Helmontius has magnetismi anima-lis leges, hanc mirabilem cito, tuto & ju-cunde curandi artem, litteris conſignatas magna animi confidentià, nec minore cum oſtentatione, in publicum uſum vul-gavit: ſed quod fieri fere ſemper ſolet, ut arcana revelata vileſcant, hoc etiam mag-neticis myſteriis accidit. A quibus cum & Philoſophi, qui ab illo tempore florue-runt, & mechanica Medicorum ſecta, quae paullo poſt dominari coepit, alieniſſimi eſ-ſent, mirum certe non eſt, quod in oblivio-nem & contemtum venerint; Praeſertim quoniam ille Myſta multis inanitatibus & la-ſcivientis ingenii nugis ſuam doctrinam de-formaverat ſuſpectamque reddiderat. — Et tamen ego magis mirarer, ſi quis con-tenderet, in ſcenam illa nunquam redi-tura

(*e*) Conf. Joh. Bapt. Helmont. de Magn. Vulner. Curat. in Oper. Tom. I. pag. 700 & ſeq. ubi praeter alias ineptias §. 11. haec legimus: *ſi quis ad oſtium tuum cacaverit, idque prohibere velis, recenti excremento ignem ferri ſuperſtrue. Mox ad nates ſcabioſus cacator fiet —— toſti excrementi acrimoniam dorſo magnetico in anum impudentem propellente.*

tura. Nae jam reduci coeperunt; & pleniorem ſpeciem recuperabunt. Nam ut omnes fere artes ſic maxime medicinales nequaquam recto itinere ad perfectionem progrediuntur, ſed ſuas habent periodos, & per ſpirales quaſi lineas revolvuntur; velut luna, quae modo corniculata, modo dimidiata tum plena, paullo poſt nulla eſt, ſed cum evanniſſe videtur, brevi reſurgit. Quamquam fateor, portentoſam magnete medendi artem non adeo lunae tranquillae & aſſiduae ſimilem eſſe, quam crinito alicui Cometae, qui quo rarius in conſpectum venit, hoc majorem excitat admirationem. Vides, L. B. quid me moverit, ut paullo ante dicerem, Philoſophos ad quaeſtionem de magnetismo animali reverſuros, modo Medicorum nonnulli magnetibus pugnare pergant.

Mihi quidem magneticas curationes, quae ante paucos annos celebritatem recuperare coeperunt & adhuc magnis paſſim laudibus extolluntur, cogitatius expendenti & jactantiam praeconum nonnullorum conſideranti, aliquoties Paracelſus & Helmontius revivixiſſe viſi ſunt; caeterum tam felici eſſe nondum contigit, ut vel meo in corpore, cui ſenſum vitalem valde tenerum natura tribuit, vel in aliis hominibus,

cu-

curae meae commiſſis, aliquam vorticum magneticorum vim aut influxum perceperim. Hoc video, ad hiſtrionalem calliditatem nihil aptius eſſe, quam illas apparationes magneticas. Et ut omnia dicam, uno etiam nomine utiles eas eſſe profiteor, praeſertim in longis cerebri & nervorum morbis; quandoquidem aegrotantium animos jucunde movent, & ſpe quadam, quae efficaciſſimum remedium eſt, mulcent. Sed oportet laminis annulisque magneticis inſculpi: *exſpecta!* & aegrorum animis *patientia.* Quae praeter haec de iis praedicantur, facere nondum potui, ut credam; pleraque paralogismo perquam familiari effecta eſſe ſuſpicor: *poſt hoc, ergo propter hoc!* Nec tamen ideo omnem magnetis cum animantibus cognationem negare auſim. Expectationem certe aliquam faciunt, quas commemoravi, Schillingianae obſervationes. Spem augent latentes in novo orbe rerum & ingeniorum excellentium copiae. Nam ut olim ex Africa, ſic hodie *ex America ſemper aliquid novi!* Utinam proxime aliquid boni, quod non modo ad amplificationem ſcientiarum & ad medicinam corporum, ſed etiam ad concordiam mutuasque animorum caritates faciat! Hoc votum ex-

exprimit triſte, quod in America cum maxime geritur, bellum, quo fortes & fortunatae gentes, ſanctiſſimis naturae civitatis legum vinculis conjunctae, ſed *nimiae felicitatis morbo* laborantes, in ſua ſaeviunt viſcera, & quaſi non ſatis eſſet, mutuis graſſari caedibus, externos etiam ad perniciem ſuam advocant. Inter arma ut leges, ſic Muſae ſilent. Pacem ergo Americae precamur non tantum humanitatis ſed etiam litterarum cauſſa. America veras *Electricitatis coeleſtis* leges detexit, & Europae, in minutis tentaminibus ambitioſe tunc laboranti, ordinem ac vias aperuit, quibus Natura utitur in maximis operibus interventu aetheris electrici perficiendis. Eidem forſan Americae laus & honos decreta ſunt magneticam eruendi naturam, quae pariter atque electrica per univerſam tellurem hujusque atmoſphaeram diffuſa eſt, & proculdubio plures majoresque, quam adhuc novimus, planetae noſtro utilitates praebet; quin immo aſſiduum & neceſſarium munus obire videtur. Haec vero & his conjunctam de magnetismo animali quaeſtionem non ingenium humanum ſed *tempus & experientia*, genuini ſcientiae naturalis parentes & vindices, decernent. Ego interim linguam & ſtylum continebo, me-

memor praecepti, quod mihi admodum adolescentulo morum ac religionis caussâ inculcatum est; deinde in rebus etiam physicis & medicinalibus ipso usu comprobatum: *experire, non ride!*

Scribeb. die brumali an. MDCCLXXVII, in Academia Lugduno-Batavâ.



GODE-

GODEFREDI GUILIELMI SCHILLING,

Medici Surinamensis,

DISSERTATIO DE LEPRA.

Instituti Ratio.

§. I. Multum est temporis elapsum, ex quo consilium cepi, observationes quasdam de dirissimo morbo, quem sacri Scriptores *Lepram* vocant, conscribere et in publicum emittere. Quem in finem necessarium esse duxi, ut non solum ea, quae mihi in calidis temperatisque utriusque Americae regionibus observare contigit, diuturno studio digesta breviter enarrarem, sed etiam ut colligerem, & cum meis conferrem, quaecumque meliores scriptores, tum veteres, tum recentiores, quorum evolvendorum copiam nactus sum, de eodem morbo scripta reliquerunt; eo maxime consilio, ut atrocissimi mali indoles penitius perspiceretur. Atque hoc meum propositum non modo Medicinae Cultoribus probatum iri

 spero,

ſpero, ſed imprimis Civibus meis Surinamenſibus, quorum maxime intereſt hujus morbi principia & curam noſſe, haud inutile futurum eſſe confido.

§. II. Ut autem ordine procedat haec disquiſitio, primum definitionem, quam *nominalem* vocant, tradam; deinde ſigna, quae diagnoſin exhibent, & quaſi realem definitionem conſtituunt, quantum in me erit, enarrabo: poſtea de cauſis, a quibus originem trahit, dicam, & quomodo malum praecaveri poſſit, explicare conabor; poſtremo progroſin & medendi rationem, quam multiplex experientia mihi maxime probavit, exponam.

Varia Morbi Nomina.

§. III. In ſacra ſcriptura Lepra nomine צרע & צרעת ſive (נגע צרעת (א) quod *plagam Leprae* ſignificat) venit. A Graecis varia nomina ac-

(א) והצרעה סרחה במצחו & Lepra exorta eſt in fronte ipſius 2. *Chronic.* 26. 19. 1°. Generatim & vi originis notat, quidquid corporis vires dejicit, & hominem ab opere ceſſare facit. 2°. Speciatim notat Lepram proprie hominis, cujus corporis vires proſternit, & a labore ceſſare facit. Vox מצרע hominem Lepra affectum notat *Levit.* c. 14. vs. 2. qua voce Rabbini utuntur; & ſane multo efficacius morbi vim notat quam צרוע / Nugae autem ſunt, מצורע idem ſignificare ac מוציא שם רע exire faciens nomen malum; vel famam malam concilians, quam originem nobis exhibet *Schoetgenius* in Horis Hebraicis ex Talmud. ad *Luc.* c. 17. vs 12. Familiare hoc Rabbinis vitium eſt Etymologiae aut definitionis loco alluſione aliqua nos fallere. Similitudo literarum inter allatas voces, nemini linguae perito perſuadebit, ut eam derivationem probet.

ccepit, inter quae usitatiora sunt, si sacros criptores evolvamus, λεπρα a λεπρις sive squamis; vero profanos auctores consulamus, ελεφαντιασις, ελεφαντια, ελεφαντιασμος, quae quidem derivantur ab ελεφας ob similitudinem cutis Elehantinae. Inveniuntur etiam apud graecos auctores nomina Leontiasis, & Satyriasis, quae foeunda Graecorum imaginatio ex quadam Leprorum cum his animalibus similitudine finxit. Romani retinuerunt Graecorum vocabula; itaue malum hoc sub iisdem nominibus apud Gentes, quae linguam suam a Latinis habent, notum st. Idem vero a Christianis e Palaestina, quam Religionis causa adierant, in Europam altera vice illatum, vocari coepit morbus sancti *Lazari*, nde nomen *Lazareti* venit. At Surinamenses omine *Boasi* utuntur; Belgae vero *Melaatsheid*, Germani Aussatz vocant.

Incipientis Leprae signa, & cautelae in exploratione morbi observandae.

§. IV. Sane sicut facile est, hunc morbum gnoscere, & ab aliis distinguere, ubi jam perenit ad altiorem gradum, ita contra perdifficie est, ejus principium cognoscere, & prima ullulantis mali signa observare. (ב) Hinc defini-

(ב) Authorum, qui de lepra scripserunt, antiquissimus ivus *Möyses* sequentia morbi signa tradit in *Levitici* c. 13. s. 2. & seq.
Homo quum erit in cute carnis ejus tumor, aut abscessus, ut papula in cute carnis ejus vergens ad plagam Leprae deucatur ad sacerdotem vs. 3. quumque inspexerit sacerdos ipse

nitiones ab optimis auctoribus (1) exhibitae admodum differunt, animumque in examine instituen-

ipse plagam illam in cute carnis ejus, si pilus in plaga illa mutatus fuerit in album, & species illius plagae profundior fuerit cute carnis ejus, plaga Leprae est. vs. 8. Si videbit Sacerdos quod ecce diffudit se abscessus ille in cute ejus: tunc pronuntiabit illum immundum, Lepra est. vs. 10 Si tumor albus est in cute ipsa & mutavit pilum in album, etiam si aliqua sanitas carnis vivae sit in tumore illo. vs. 11 Lepra inveterata est. v. 19. & 20. Si oboritur ulceris tumor albus aut papula alba subrubra, & si species ejus depressior ipsa cute, & pilus ejus mutatus est in album, tum immundum pronuntiabit eum sacerdos, plaga Leprae est. v. 21. & 25. Caro cum fuerit in cute ejus adustio ignis, si erit sanata pars ab illa adustione papula alba subrubida aut alba tantum, si mutatus est pilus in album in ipsa papula, & species ejus est profundior cute ipsa, Lepra est. v. 29, & 30 quum in viro aut muliere erit plaga vel in capite vel in barba si profundior est ipsa cute & in ea est pilus fulvus tenuis, tum immundum eum pronuntiabit sacerdos, porrigo est Lepra capitis aut barbae. v. 35. & 36. Sin omnino se porrigo diffudit (quando homo reclusus erat per septem dies & rasus fuerat post mundationem ejus) per ipsam cutem, ne inquirito Sacerdos de pilo illo fulvo, immundus est. v. 42. 43. 44. Quum autem in ipso loco calvo aut in recalvo plaga alba subrubida; Lepra efflorescens est in loco, si plaga inspiciente sacerdote tumor illius plagae erit albus subrubidus secundum species Leprae, homo leprosus est & immundus. *Numeror.* cap. 12. vs. 10. ecce Mirjam Leprosa erat, alba sicut nix, cumque respexisset *Aaron* ad *Mirjamam*, ecce leprosa erat.

(1) Haud incongruum esse puto nonnulla ex melioribus scriptoribus excerpta confirmationis ergo hic apponere. Adeamus primo *Celsum* qui quidem hunc morbum duplici nomine describit, Leucis & Elephantiae. Leuce, inquit, habet quiddam simile alpho, sed magis albida est & altius descendit, in eaque albi pili sunt & lanugini similes. Leuce, quem occupavit, non facile dimittit. v. L. 5. c. 2: Idem vero in L. 3. c. 25. p. 176. Summa pars crebras maculas crebrosque tumores habet, rubor paulatim in atrum colorem convertitur, summa cutis inaequalitas, crassa tenuis du-

[f]aendo suspensum relinquunt; quae quidem con[f]usio inde oritur, quod primordia hujus morbi [t]ectas humani corporis partes plerumque occu[p]ant; & sic saepe oculis peritorum Medicorum, [C]hirurgorumque se subducunt: paucis enim in [m]entem venit Leprae investigandae causa illas par[t]es perquirendas esse; quinimo pudor illud pro[h]ibet praesertim inter Europaeos: sic diu saepe [l]atet malum, altasque radices agit, oculos & di[l]igentiam fallens explorantis. Atque hoc longe [f]requentius, quam vulgo creditur, usu venire, [i]nde colligo; quoniam multi occurrunt Juvenes, [i]mo pueri, in quibus universa foedissimi morbi sym-

[c]ura mollisque quasi squamis quibusdam exasperatur. *Paulus Aegineta* de signis Leprae in L. 4. cap. 2. p. 204. Lepra al[t]am cutem orbiculatim depascitur, & piscium modo squa[m]ulas ex se remittit. *Avicenna* in L. 4. cent. 3. Tract. 2. [I]ncipit color fieri rubens tendens ad nigredinem, apparet [i]n oculis obfuscatio ad rubedinem declivis, anhelitus strictu[r]a, in voce raucedo, subtilitas capillorum & paucitas. *An[d]reas Paraeus* in L. 20. p. 580. c. 9. inter signa Leprae nu[m]erat mutationem coloris cutis cum tuberculis rubris duris, [d]efluvium capillorum, respirationem foetentem, & anhelitus, [u]lcera oris, alterationem vocis, cupiditatem magnam ad vene[r]em. In *Hildani* Epistola a *Claudo Deodato* 22. de signis Le[p]rae & Elephantiasis: sunt in cute vel faciei, vel frontis, vel genarum, cubitorum, femorum, manuum pedumve tuber[c]ula, facile mobilia indolentia, & ex livore ad rubedinem [t]endentia, horridumque aspectum praebentia; epullulant in [o]re in palato in faucibus circa linguae radicem tubercula [n]unc florescentia nunc sublivida, oriuntur, in pedum digito[r]um interstitiis in crassa praesertim & dura illius parte, item [i]n aliis artuum locis ulcera efflorescunt; haec ulcera veram [c]utem penetrant, lata sunt, & ulterius serpunt, labiis cal[l]osis ac pertumidis atque laesa facile cruentant, indolentia [s]unt, licet ulcera quoque depascunt; adsunt tumores in au[r]ium ambitu, crassescunt labia, pedes manusque valide in[f]latae ac tumidae sunt.

ſymptomata conſpiciuntur, tametſi in parentum facie & manibus nihil mali obſervari poteſt: Quis autem credat, Liberos inter ipſa vitae initia hanc labem aliunde, quam ex parentibus traxiſſe? Parentes ergo eam veſtimentis occultatam gerere ſaepius ſuſpicatus ſum, & Experientia confirmatum vidi; quamquam ab altera parte minime rarum eſt, e Leproſis parentibus bene natos Infantes videre, in quibus, quoad pueri ſunt, nulla mali nota obſervatur; poſtquam vero puberes facti ſunt, primo etiam levia tantum ſigna comparent, quae pro naevis aut varis habentur ideoque negliguntur, at vero progreſſu temporis tecta labes foras erumpit, eoque atrocius ſaevit, quo magis fuerat neglecta. Neque infrequens eſt, palliativa cura morbum repreſſum, nulla in externis partibus indicia praebere, atque ita vana ſpe aegrum & medicum fallere, deinde vero cum vehementiſſimis ſymptomatibus facto quaſi impetu ſe prodere.

§. V. Ex quibus manifeſtum eſt, praecipuum Medici & Chirurgi ſtudium in exquirendis ſignis, quae diagnoſtica & pathognomica dicuntur, eſſe debere. Atque ego quidem duos inveni Characteres certos & conſtantes; primus eſt, *mutatus Cutis color* in ea corporis parte, in qua malum erumpit: alter *Inſenſibilitas* partis affectae, quam Medici hodie graeco nomine *Anaeſtheſiam* appellare ſolent (ר).

§. VI.

(ר) Mutatum cutis & pilorum colorem omnes ſcriptores memorant. Senſus vacuitatem in partibus affectis primus notavit *Aretaeus*. Eam vero ſtatim ab initio morbi cum primae maculae pullulant, adeſſe, nemo quantum reperire potui, animadvertit praeter *Andream Cleyerum*, qui hunc morbum

§. VI. Coloris mutatio duplex eſt: nam vel rubrae naſcuntur maculae in pallidum vergentes, vel

bum in inſula Java primum vidit, & pro novo habens diligenter ad naturam deſcripſit, additaque Icone expreſſit horrendam corporis eo afflicti deturbationem, vide *Ephem. German.* Dec. 2 Mens. Decemb. 2. MDC LXXXIII. obſervat. 5. verba *Cleyeri* haec ſunt.

Ante viginti circiter annos incolae Javae horrendo quodam morbo affligi coeperunt, qui digitos manuum pedumque conſumit, duris atque horrendis tumoribus, qui poſtea exulcerati in putrida atque cacoëthica ulcera cum carie oſſium degenerant, facies defoedatur, neque ullis medicamentis vicinae partes ab hac infectione reddi poſſunt immunes, niſi membrum infectum exſtirpetur, pus tam acre & corroſivum eſt, ut quando tubercula ſponte non aperiuntur, poſtea fuerit animadverſum, illud in oſſa ſubjecta ſaeviiſſe: in initio morbi, aurium extremitates ſupra modum intumeſcunt, *calcaneique omni ſenſu deſtituuntur, adeo ut ſine dolore acus integra poſſit adigi*, illaeque partes ut plurimum exulcerantur, in initio lividae apparent maculae, omnis ſenſus expertes, capillitium, barba & ſupercilia decidunt, quamquam aliquando id non contigiſſe obſervaverim. Inter procatarcticas cauſas eſt contagium. Malis, putridis, foetidis & ſale conditis piſcibus marinis, aliisque craſſi chyli cibis & fructibus incolae veſcuntur: piperis indici, Lada Chili dicti, integros devorant manipulos, cibos calidos & aromata ſine menſura adſumunt, atque ad libidinis pruritum excitandum Aró quotidie in cibis utuntur, hinc etiam integra terrae Jugera herbâ iſtâ ſunt conſita, lues venerea inquilina eſt, adeo ut febre quotidiana ſit vulgatior.

Elephantiaſis indica accurate etiam deſcripta eſt a *Couzier* in Journal des Médecins Decemb. 1757. in Inſula Maſcarina nullus, ait, morbus magis eſt iſto formidandus ſimulque incurabilis. Incipit a maculis paululum tumidis diverſi coloris, nunc flavis, nunc rubellis, alias lividis in diverſis partibus ſimul, in habitu corporis multae glandulae tument; aegro tamen de caetero vigente. Senſim phalanges manuum & pedum multum intumeſcunt, unde digitorum uſus amittitur. Superveniunt in toto corpore tubercula dura, nec adhaerentia, nec dolentia, quae creſcunt & in pedibus brachiisque potiſſimum exulcerantur, & haec ulcera cancroſa videntur, excepto quod non doleant; digiti pedum manuumque hinc exe-

vel albae ad colorem flavum lividum aut rubrum tendentes. In priore casu pili, qui in parte affecta sunt, subflavi aut subrubri apparent; in posteriori casu, albi conspiciuntur. In utraque vero specie Maculae sunt figurae rotundae, & in principio admodum parvae. Insensibilitas etiam utrique communis est. Atque nisi duo, quos memoravi, Characteres conjuncti fuerint, Lepra haberi & vocari nequit,

§. VII. Officium igitur Medici & Chirurgi est, ut omnes externas partes studiose perscrutetur a Capite usque ad Calcem, & signa hujus Morbi investiget; neque partes pilosas aut capillatas praetereat; simul enim ac color cutis in hoc morbo mutatur, etiam statim pili mutantur. In Europaeis Lepra alba difficilius percipitur, quam apud Æthiopes; in his e contrario rubra est difficilior agnitu, quam apud illos. Ergo in primis insensibilitas partis affectae tamquam signum certius & vere pathognomicon consideranda, quae quidem ejusmodi est, ut nullus dolor sen-

exedi & destrui solent; jam coryza aegrum adoritur, radix nasi incrassatur ibi ossa cariosa, fiunt, unde sanies foetidissima emanat, labia intumescunt, frons, cilia, palpebrae elevantur, facies abit in larvam horrendam. Macies marasmodea totius corporis adjungitur, cutis arida, aspera tactu, callis maculisque lividis vel nigris respersa, sceleton involvit. Cum ulcera numerosissima, aspectu cancrosa, corpus totum obsident, nulla functio exercetur; inappetentia, cardialgia, náuseae continuae cum torminibus, demum sine pulsus mutatione mors. Sanguis initio eductus optimus videtur, ast provecto morbo nigricat consistentia gelatinae corruptae; puellae hunc morbum ante pubertatem experientes, imposterum catameniis carent. Morbus a parentibus in prolem, a nutricibus in alumnos serpit, aliunde contagii expers.

sentiatur, sive acum aut cultrum adigas, sive alio ferro seces, sive igne partem uras. Haec ipsa tamen insensibilitas tum demum plena est, cum latior aut profundior plaga leprosa existit; nam in principio morbi Lepra in exteriore Corporis superficie sese non manifestat, nisi exiguis maculis, quae Assis magnitudinem interdum non superant; quamquam venenum corpus jam usque & usque pervaserit.

§. VIII. Ex quibus cognoscimus, quanta illis opus sit prudentia, quibus cura, hunc morbum explorandi, commissa est, quorum quidem in gratiam lubet aliquot cautelas practicas subjungere. Primo, si hominem de hoc morbo accusatum examinare debent, ne nomen morbi ante explorationem proferant! Nam plurimi & praesertim Europaei, quando in suspicionem hujus morbi veniunt, dissimulare solent, negantque partes affectas sensu carere, sed dolorem sub examine perceptum simulant. Tunc ergo expedit explorationem in somno instituere: nam qui vera Lepra laborant, numquam expergiscuntur, quamvis ferro aut igne lædantur usque ad ossa.

§. IX. Equidem fieri potest, ut macula admodum parva sit. Itaque peritus Medicus non statim pronuntiat, sed aliquot dies aut septimanas interponit; nam si revera Lepra vivens in corpore est, non solum macularum circumferentia, sed etiam Anaesthesiae profunditas augetur; quod ubi Medicus animadvertit, ne amplius dubitet Lepram esse veram.

§. X. Neque tamen, etiamsi lente crescant maculae, aut prorsus insistant, non esse Lepram pronuntiet. Nam fieri interdum solet, ut integro

anni curriculo vix unam lineam augeantur, & tamen latitans miasma incrementum quasi cum ipso corpore capiat, & subito deinde erumpens solito celerius atque latius serpat; quod quidem tum maxime fit, cum externa remedia ad delendas maculas omissis internis ad sanguinis purificationem necessariis, adhibentur, aut quum aeger prava diaeta utitur, vel medicamenta huic malo haud idonea ad alium forte morbum depellendum adhibet.

§. XI. Quamquam autem Lepra diversissimas corporis plagas, imo omnes promiscue partes occupare solet, illud tamen constanter observavi, & ab aliis Medicis ac Chirurgis confirmatum accepi, eam in nulla parte se prodere, quin sequentes tres regiones simul infestet, nempe plagas pilis obsitas sub axillis, regionem pubis, & omnium maxime nates, ubi musculi glutaei multa pinguedine tecti jacent.

Morbi Progressus, Symptomata, Exitus.

§. XII. Prima erumpentis Leprae phaenomena descripsi, quae cum sint levia, neque ultro se offerant, diligentiam in observando requirunt. Quae vero deinceps apparent, effecta adeo sunt manifesta, ut neminem non moveant. Simul enim ac macula leprosa alicubi crescere incipit, in aliis etiam corporis partibus malum se prodit. Principio quidem auricularum lobi intumescunt, & obdurantur, atque in toto ambitu subinde tuberculis cinguntur. Deinde nares, labia oris & universa facies turgescunt, & rubore quodam inficiuntur, qui a genuina rubedine sanitatis indice plurimum discrepat. Est enim quasi cinna-

ba-

barinus color, quem in ipsis etiam Æthiopibus facile distinguimus, in quibus tamen alioquin sive sanis sive morbo quodam afflictis, nullus rubor conspici potest. Color ille progressu temporis lente mutatur, & ad caeruleum vergit, omninoque quo vetustior est morbus, hoc lividior evadit. Cutis etiam sensim magis magisque contrahitur, & in plicas paulatim obdurescentes corrugatur. (n)

§. XIII.

(n) *Celsus* in l. 3. c. 25. & in l. 5. c. I. Lepra & Elephantiae effectus sic describit: corpus macrescit, os, surae, pedes intumescunt: ubi vetus est morbus, digiti in manibus pedibusque sub tumore conduntur, febricula oritur, quae facile tot malis hominem obrutum consumit.

Aretaeus Cappadox sic describit Leprosor in l. 2. Chr. c. 13. tardi enim sunt ut ab aliqua levi & vulgari causa, somniculosi, quieti, sicca alvo, in morbi autem incrementis respiratio grave olet ob interni spiritus exhalationem: lotium crassum est, album turbidum, quale jumentum reddit; venerem appetunt; crudorum & incoctorum distributio fit, neque istorum est sensus & meditatio, (neque enim concoxerint nec ne percipiunt) & cruditas haec concoctioni similis est. Digestio vero facile fit, tamquam in suum ipsius alimentum raptim morbo attrahente, propterea valde siccitate inferioris ventris laborant. Tumores alii juxta alios exurgunt, nondum quidem continui, sed crassi & asperi: & interstitium tumorum discissum est, ut Elephantis corium; venae latae sunt, non sanguinis redundantia, sed cutis crassitudine; non multo post autem & sedes declarat universo toto corpore in aequalem tumorem distento; pili in toto corpore praemoriuntur, in manibus, femoribus, tibiis, item in pube, in mento rari sunt: rara quoque in capite caesaries; quod vero majus est, intempestivi cani & calvitium affatim subitoque ingruunt; non multo post autem pubes & mentum glabrescunt; quod si qui pauci pili remaneant, hi magis dedecent, quam qui defluxerant. Capiti cutis altius rescissa est, rimae autem profundae asperae sunt, tumores in facie duri acuti non numquam fastigio albido basi viridiori; pulsus pusilli graves, tardi, tanquam per caenum vix se moventes, venae temporum distentae sunt, & sub lingua:

ven-

§. XIII. Hoc in ſtatu morbus aliquando per decem, imo viginti annos ſubſiſtit, neque in-cre-

ventres bilioſi. Neque inopinabile eſt & omne corpus talibus ſcatere tuberculis. Sin autem valde ab intimis erumpet morbus, & in extremitatibus apparebit, impetigines ſummos digitos infeſtabunt, genua prurient, pruritusque cum voluptate ſcalpetur. Ambit vero impetigo & mentum nonnumquam in orbem, rubent malae cum tumore haud ita magno: oculi caliginoſi aenei coloris ſunt; ſupercilia prominentia, craſſa glabra, deorſum verſus pondere vergentia. Nares cum atris tumoribus ſalebroſae, exſtantesque ſunt, labiorum prominentia craſſa eſt, pars autem inferior liveſcit. Naſus tumet, dentes non albi ſunt, ſed nigricare incipiunt, aures rubent, admixta nigritia, obſtructae, elephanticae, ut grandiores conſueto eſſe videantur; ulcera in baſi aurium ſunt, ſanies defluit, pruriunt. Totum corpus rugis aſperis exaſperatur: nec non & altae deſcendunt ſciſſurae, veluti nigri in corio ſulci, plantarum & calcaneorem usque ad medios digitos fiſſurae ſunt. Quod ſi plus augeſcat malum, tumores malarum, menti, digitorum genuumque ulceroſi fiunt, ulcera foetida fiunt & inſanabilia, alia enim ſuper alia exurgunt, ſuper alia alia miteſcunt. Siquidem membra hominem diu morte praeveniunt, quoad de corpore excidant naſus, digiti, pedes, genitalia, atque totae manus. Spontaneae ſunt laſſitudines; ſingulorum membrorum ſpecies hominem gravitate inuſitata premit, quantumlibet exigua membra ſint. Quin etiam corpus omnia gravatim fert, non balneis delectatur, non illuvie, non cibo, non jejunio, non motu, non quiete, ab omnibus enim morbus alienus eſt, ſomnus tenuis, vigilia pejor mala ſua cogitans, ſpirandi vehemens difficultas; ſuffocationes fiunt quaſi laqueo ſtrangulantur. Hactenus Cappadox.

Aëtius de Symptomatibus ex libris Archigenis dicit c. 120. p. 415. conſequitur eos, qui obnoxii futuri ſunt malo, ſegnities, ſpiratio tarda, ſpirandi difficultas, motus difficilis, aſſidua conſtrictio alvi, urinarum veluti ſunt jumentorum lotia excretio gravis & foetida, ructus continui, appetitus non obtuſi quidem neque inflammati, impetus in venerem intenſus. Porro autem dicit, ſi malum ad cutem progreſſum fuerit, malae primum craſſiores fiunt & mentum rubeſcit non florido ſed livido rubore, & ſub lingua venae varicoſae ſunt ac nigreſcunt.

Avi-

crementum notabile capit, praesertim si aegri suae conditionis memores, leges diaeteticas, ut par

Avicenna de symptomatibus L. 2. Cent. 3. Tract. 2. incipit fieri forma foeda, faciesque terribilis & color denigratur, sanguis incipit coagulari in juncturis & putrescit, crassant labia, denigranturque super corpus, idcirco glaudulosa, similis animali, quod graece dicitur *satos*: quando lepra non est quieta, incipit corpus ulcerari, corrodit cartilagines nasi, & cadunt extremitates.

Prosper Alpinus de Medicina Ægyptiorum mentionem hujus morbi facit in cap. 15. pag. 55. Vagatur & altera species Elephantiasis, ut nuper etiam dictum est, qua correpti, pedes multis magnis duris tumoribus tumidos, magnos, atque deformes habent, Elephantium maxime similes, cruribus tumefactis etiam conjunctos, quibus tamen aeger nihil doloris sentit. sed ad ambulandum ineptus redditur (hoc morbo, dicit, Cairi correpii multi cernuntur).

Dolaei verba sunt in sua Encyclopaedia Chirurgiae rationalis in L. 5. c. 9. de symptomatibus Leprae: Segnities spontanea totius corporis, mentis ignavia, stupiditas cum summa in somnum proclivitate, ejusque tamen frequente interruptione. Insomnia metus & tristitiae plena. Pryapismus & satyriasis accedit. Respiratio difficilis & tarda & saepe inaequalis, exspiratio gravis ac foetida, pulsus parvus tardus & saepe inaequalis, sitis intensa, appetitus debito minor. Alvo supra modum adstrictâ, urinae aliquando jumentorum lotiis similes, cutis crassior durior, ac asperior, color faciei & totius corporis lividus apparet, transpiratio impedita est, tubercula ex rubro sublivida, indolentia, & quae loco moveri possunt, in facie etiam & fronte praesertim & genis exsurgunt, partesque omnes faciei foede intumescunt, frons crassescit & corrugatur, supercilia prae tuberositate deorsum pendent, palpebrae tumidae & inversae conspiciuntur, malae crassescunt, & intumescunt, Labia praetumida prominent, aurium pinnae in ambitu rotundiores & contractiores apparent, auricula vero tumidior & parotides circumjacentes insignem in tumorem elatae conspiciuntur. Aspectus torvus, oculi ex flavo rubent, capilli & pili depluunt. Tubercula quoque granulosa flavescentia vel sublivida in lingua depressa, deglutitio impedita est, voxque rauca, tubercula per totam capitis pillosam partem, per collum, artus & totum corpus disperguntur. Adest insupe foeda

par eſt, obſervant. Quod ſi vero vel ipſi peſtiferam mali indolem ignorent, vel intempeſtivo pudore decepti morbum celent, vel genio ſuo indulgentes eum negligant, cito plerumque dirisſima ſymptomata accerſunt, mortemque ſibi prope-

da cutis, tumores tandem excavantur in foeda ulcera, quae cutem profunde penetrant, lata ſunt ac ſerpentia, labrisque calloſis & praetumidis praedita, ſanguinem ſi contrectentur, facile profundentia, nullum tamen ſenſum, quod mirandum, haec ulcera habent, non minus ac tubercula iſta, etiamſi acus ad magnam profunditatem adigatur, aut aqua fervens affundatur, non tamen uritur pars.

De Villars in Tractatu Chirurgiae L. 2. pag. 71. & 72. propemodum ſimilia habet; dicens: ſtupiditatem, torporem, ſegnitiem, triſtitiam, & ſomnolentiam habent, cum magnis turbulentis inſomniis & incubo vexantur, pulſum anxium & debilem & inaequalem habent, color faciei eſt ex nigro flavus; cuti craſſa dura plena rugis. Alvus eſt valde adſtricta & ructibus & flatibus oppleta; urina cruda cineritii coloris, turbida tamquam Jumentorum, labia magna livida nigra, dura, inverſa plenis rimis & fiſſuris cum ulceribus, gingivae inaequales ulceratae, reſpirationis difficilis halitus foetens. Sitis inextinguibilis. Naſus eſt deformis & nares inflatae ſecum duritie expandunt, ulcera cancroſa, quae oſſa cariunt; facies fit ſubtumida plena tuberculorum & ſquamularnm, ex quibus ulcera oriuntur. Supercilia magna & palpebrae inverſae tumeſcunt, oculi ſubrubri rotundi cum liquidis repletis ſaepe ungulam ſuper ſedentem, pars albicans oculi eſt nigra livideſcens aut viridis, aſpectus eſt terribilis, aures retrahuntur, & in formam circularem tumeſcunt durescuntque, partes carnoſae per ulcera conſumuntur. Venae raninae & temporales nigrae & in varices abeunt, infra linguam & palatum & oeſophagum creſcunt glandulae lividae viridesque. Pili & capilli cadunt de toto corpore, & ſi iterum creſcunt, rariores & pauciores quam antea ſunt Pinguitudo eſt in cute ut aqua ſuperfuſa non adhaereat, ungues ſunt lividae & cum fiſſuris. Extremitates tam ſuperiores quam inferiores frigidae ſunt & quaſi emortuae, caro & praeſertim ulcera ſunt ſine ſenſatione & ſine ullo dolore, ut acum adigere poſſis, ſanguis eſt cum multis miliiformibus glandulis ſplendidis repletus.

perant. Tunc enim maculae leprosae a facie per universum corpus ad plantas pedum usque erumpere solent, & in tubercula atque nodos surgentes habitum mirifice deformant. Imprimis digitos manuum hac lue affectos saepe videmus; nascuntur scilicet sub unguibus vesiculae, apices digitorum crassescunt, & sensum amittunt; serpit malum de prima in alteram phalangem, nullum omnino dolorem excitans; conduntur aliquando sub tumore progrediente digitorum apices, jamque ossicula sine dolore & levi opera eximi possunt, vel etiam sponte delabuntur. Observavi interdum in uno tantum digito hujusmodi corruptionem diu extitisse, antequam in alium transierit. Interea universum corporis tegumentum turgescit, & induratur, atque perspiratio sanctoriana obliteratis quasi omnibus poris penitus sistitur; unde fit ut aegri in Cachexiam, Leucophlegmatiam, Hydropem, & frequentissime in Melancholiam ac vitae taedium incidant, mortemque sibi consciscant, laqueo, aut cultro, aut spontanea submersione. Qui vero in tantam desperationem non adiguntur, illis membra unum post alterum dissoluta cadunt; & quamquam apertae a lapsis membris plagae nonnumquam consolidentur, tamen malum recrudescit brevi post aliis in locis. Accedunt hinc inde ulcera quasi a tertio ignis gradu facta, quae densis crustis brevi labentibus, & identidem renascentibus obteguntur, omnique sensu carent, non tantum extus, sed intus etiam adeo, ut ipsum Periosteum, in quo secundum Naturam exquisitissimus sensus esse solet, ne minimam ejus notam praebeat. Enim vero interdum fit, ut ulcera vel sponte vel applicatis levibus remediis, sanentur, sed brevi post

post denuo erumpunt, atque latius serpunt, quin etiam in aliis Corporis partibus nova prodeunt. *Neque enim*, ut verbis Areraeti utar (*a*) *haec lues prius perimit, quam membranatim dilaceratus homo fuerit. Nam longaeva est, quemadmodum Elephas animal, cum quo communia habet multa.*

§. XIV. Interea cutis perparum Materiae perspirabilis, nedum sudoris, transmittit, atque exiguum illud, quod exhalat, perinde ac spiritus ex ore veniens, intolerabilem foetorem habet. Aegri praeterea in hoc morbi statu obstructionibus Alvi valde obnoxii sunt, atque purgantium medicaminum auxilio difficillime moventur: excrementa sunt nigra, sicca, & quasi combusta; urina tunc est rufo colore & uroscopiis tenaciter adhaeret. (Quae quidem eo diligentius notari merentur, quo certius est, omnes corporis excretiones in principio morbi secundum Naturam fieri. Neque enim quidquam, quo a sanis discrepent, observavi, praeterquam in urina, quae jam ab initio morbi pallidula esse solet, atque odore suo muriam, in qua Haleces conservantur, exprimit, solito etiam citius putrescit:) Sitis jam fere perpetua est. Lingua semper sicca, interdum nigris crustis tecta, atque hinc inde quasi rimosa.

§. XV. Sanguis admodum tenuis est, atque ubi morbus ad summum pervenit, oculo etiam nudo exhibet multos globulos albos milii granis similes, qui si Microscopio lustrantur, foraminulenti apparent. Serum sanguinis simile est semicocto carnis Jusculo, & ad ignem aegre cogitur. Vidi nonumquam cruorem sine ullo sero. San-

(*a*) De sign. & causs. diuturn. l. 2. c. 13.

Sanguis e venis missus plerumque putridum olet; id quod in sanguine, e secta arteria ducto, non observavi.

§. XVI. Malum hoc pedes nonnumquam prae caeteris partibus afficit, quod ubi fit, non Lepra sed *Elephantiasis* sive *Elephantia* appellatur. Hujus igitur nominis ratio ex symptomatibus nunc describendis explicanda est: scilicet, in pede affecto phalanges ossiculorum paulatim intumescunt, cutemque & carnes mirum in modum expandunt; crassescunt digiti, tandemque inter se, ac si e cera essent, colliquescunt. Deformatus ejusmodi pes levissima de causa sanguinem fundit, qui tamen sponte & cito etiam sistitur. Serpit haec corruptio a digitis per universum pedem usque ad femur, redditque articulationes, quas attingit, immobiles; siquidem smegma eas inungens & lubricans coagulat, facitque, ut musculi ac tendines inter se concrescant, adeo ut dexterrimus Anatomicus has partes separare, et vel distinguere nequeat. Quae dum fiunt, panniculus adiposus & cutis in plicas ac rugas ita sensim se componunt, ut pedis elephantini formam omnino exprimant. Inspexi studiose Elephantes, & sane non modo formae, sed etiam gressus similitudinem, miratus sum magnopere; nam imus pedis articulus, sicut in his animalibus, sic quoque in Leprosis, motu caret. Haec autem degeneratio pedum lentissime procedit. Novi profecto homines, in quibus cum decimo aetatis anno jam coeperit se manifestare, tamen quadragesimo non ultra genu pervenerat. Hunc autem terminum postquam attigit labes, tum vero alias quoque partes, quae adhuc immunes erant, afficere solet. Imprimisque digiti manuum circa articulos tume-

 scunt,

fiunt, ſenſimque ſoluti cadunt; inde ulcera primo faciem, poſtea carnoſas corporis partes depaſcuntur cum intolerabili foetore hircino, ſed ſine ullo dolore.

§. XVII. Tentatum eſt, numquid amputatio pedis affecti *Leproſis* prodeſſe poſſit; ſed ſucceſſu caruit. Nonnulli ſeptimo ab operatione die correpti ſunt ſpasmo cynico in tetanum, & paulo poſt in mortem terminato; alii ſtatim convulſi perierunt; qui vero ſuperfuerunt, in his vulnus circa oſſeas partes non prius conſolidari potuit, quam leproſa labes alterum pedemoccupaverat.

§. XVIII. In amputatis pedibus ſequentia obſervavi notatu digna. Interna oſſium conformatio talis eſt, qualis in ſpina ventoſa eſſe ſolet; nulla Perioſtei vel interni vel externi veſtigia cernuntur: internae oſſium lamellae facillime ſeparari a ſe invicem poſſunt; nullae in oſſibus cavitates apparent, nec quidquam Medullae ineſt; partes oſſibus circumpoſitae, & praecipue tendines ac muſculi, ſpeciem compacti lardi habent; coriums hoc lardoſum adhaeret molliuſculo oſſi adeo tenaciter, ut aegrius ab eo ſeparetur, quam internae oſſis lamellae a ſe invicem. Nulla ferme vaſa, vel ſanguifera, vel lymphatica, in partibus interioribus obſervantur; in corrugata vero cute, quae occurrunt, vaſa varicoſa ſunt, & perparum ſanguinis continent: atque haec vaſorum raritas tanta eſt, ut cum diligenter inveſtigaverim, non tamen potuerim arteriam interoſſeam reperire, quandoquidem bina cruris oſſa quaſi in unum confluxerant; id quod etiam in exiguis pedum osſiculis obſervavi *.

§. XIX.

* *Townei* teſtimonium lubet hic adducere: in *Inſulis Caribarum*, inquit, Æthiopes ſervituti mancipati (& etiam inter in-

§. XIX. Illud praeterea animadverti, quoties amputatio prope partem affectam facta est, non opus fuisse vinculo arteriae cruralis; & ne stypticis quidem; sed simplicem suffecisse ligaturam; debiliorem etiam longe saltum sanguinis vidi, quam latex, ex arteria rescissa erumpens, monstrare solet; colorem porro sanguinis obscuriorem atque nigricantem omninoque talem, qualis in venoso sanguine esse consuevit. Imo semel vidi sanguinem quasi pure permixtum. Quod si vero amputatio fit ad notabilem a parte corrupta distantiam, longe aliter res se habet. Sanguis enim majore impetu prorumpit; nec nisi injectis vinculis sisti potest, atque odore omni caret. Hoc unum tamen praeter naturam constanter observavi, sanguinem tenuiorem esse, quam in sano corpore, eumque vasis exceptum & mora ac frigore leviter coactum, exiguam seri copiam demittere.

De Frequentia Leprae in Coloniis Americanis, praesertim Meridionalibus, & de Causis hujus Frequenitae.

§. XX. Lepram inter Arabes & Ægyptios fami-

ncolas alterius coloris nonnulli) Elephantiasi sunt obnoxii; graviori alicui morbo ut plurimum est succedanea; iis praecipue, quibus ex dura necessitate infortunium est, victu insalubri sustentari, accidere solet. Hic sequitur morbi hujusce graphica descriptio, quam nolo transscribere. Addit autem sequentia, quae huc maxime faciunt: *Morbo jam plene formato, homo caeteroquin bene se habet, neque incommoditatem ullam sentit, nisi molestum onus monstrosi cruris. quocum tamen per viginti annos durae servitutis muneribus, quosdam saltem, fungi novimus. Elephantiasis amputato crure solet statim alterum invadere.* Conf. Allen. Synops. cap. XI. art. 50.

miliarem olim fuiſſe, & hodie adhuc eſſe, conſtat. Inde paulatim manavit ad vicinos populos, infecitque in primis Abyſſiniam & Aethiopiam, in quibus regionibus caeli, aëris, & ſoli temperies haud diſſimilis eſt Arabiae; & hinc cum Mancipiis Africanis in Americam perveniſſe videtur. Notum enim eſt, quotannis ingentem Æthiopum numerum in colonias americanas tam auſtrales quam boreales deportari, atque in plantariis & agris adhiberi; quorum cum multi lepra infecti ſint, & tamen vel propter ignorantiam exploratorum, vel ob incuriam & contagii neglectum admittantur, fieri non potuit, quin foediſſima haec lues ſenſim ad alios flueret. Et ſane hodie adeo jam pervulgata eſt, ut metus ſit, ne omnes tandem Colonos, niſi ſibi caveant, inficiat.

§. XXI. Endemium Americae morbum fuiſſe non puto. Nam licet hodie ipſi Aborigines eo paſſim laborent, ſunt tamen integrae gentes ab eo prorſus immunes; atque in illis etiam tribubus, quas jam attigit, eos tantum infectos eſſe deprehendimus, qui cum Æthiopibus corpora ſua miſcent, aliarumve rerum commercio junguntur; quae quidem binae cauſae efficiunt etiam, ut Europaei, dum in America vivunt, huic morbi magis obnoxii ſint, quam in Patria. Igitur non dubito, quin ex Africa in novum orbem primum venerit. Neceſſe autem eſt, eum quotannis latius diffundi, quum identidem ſupplementa ſervorum advehantur, & inter hos ut plurimum *pulchriore* Lepra affecti ſint, ipſum vero malum levia habea initia, quae facile vel occultantur vel negliguntur.

§. XXII. Cur autem in Colonia Surinamenſi & adjacentibus Regionibus, atque Inſulis Caribaeis longe frequentior ſit quam in Boreali America, cauſae variae ſunt & evidentes. §. XXIII.

§. XXIII. Primo quidem climatum ſimilitudo magna eſt inter Æthiopiam & iſtam Americae meridionalis partem. Deinde cibi, quibus Æthiopes plurimum utuntur, ſine dubio aliquid conferunt ¹). Etenim corruptis carnibus & ſemiputridis piſcibus copioſe veſcuntur, eoque quidem frequentius, quo haec minore pretio comparari poſſunt. Haec autem non modo per ſe, cum putrida fere ſint, nocent, ſed magis etiam propterea, quoniam qui vendunt has carnes & piſces, ut minus foeteant, libero aëri exponere ſolent. Ita fit, ut odor aliquantum temperetur, ſed patent inſectis, quae in calida iſta Regione incredibili numero

¹) Si Judæorum leges ceremoniales pervolvimus, mirari ſubit, quantæ cautelæ non ſolum in cognoſcenda Lepra, ſed etiam in diaeta ordinanda fuerint adhibitæ. vid. *Levit.* c. 13, & 14. At regulae diaeteticae in ſenſu literali nihil proſpiciebant, quam morbis putridis, praeſertim Leprae praeoccupandis, & contagioſorum prohibebant converſationem cum ſanis: nam Medici Judaeorum morbos contagioſos non tractabant, antequam Sacerdotes inſpectionem perfecerant.

Hippocrates de humidorum uſu v. 184. enumerat, quae conducant ad Lepram, inter haec ſunt aquae ſalinoſae. Idem in Libro de Humoribus v. 173. quemadmodum, ait, ex temporibus morbos conjectare datur, ita quandoque etiam ex morbis aquas & ventos & ſiccitates praenoſcere licet & aquilonares & auſtrinas. Licet autem ei quam probe ac recte didicit (ubi futura ſunt) unde ſint, haec conſiderare velut & Leprae quaedam. Idem in ſect. 3. Aphoriſmorum monet Lepram Vere oriri.

Galenus in Lib. de bonitate & vitio ſuccorum 22 399, In Lepram, inquit, incidebant, qui malos cibos ob annonae penuriam ederant. Idem in tract. 3 23. accuſat pro cauſis ſuccum ſalſum & craſſum immotum.

Avicenna in L. 4. Cent. 3. Tract. 2, inter cauſas juvativas numerat corruptionem aëris & ejus caliditatem cum malitia cibi ex genere eſculento piſcium & carne ſalita & groſſa.

mero ſunt, atque ſuis ovis & excrementis illa conſpurcant. Accedit, quod Æthiopes non abhorreant animalia morbis extincta, ſed haec jam terrae mandata, niſi cura habeatur, effodiant, mandantque. Quin etiam animalium a venenatis beſtiis dilaceratorum reliquias ut ut corruptas appetunt. Sic ergo particulis putridis acribusque ſua corpora replent.

§. XXIV. Deeſt etiam illis Regionibus ſalubris tempeſtatum mutatio: aeſtus enim ſemper magnus eſt per diem; ſiccitas aut humiditas ſemper in ſummo gradu. Quamdiu ſiccum eſt caelum, Africus ſpirat aſſiduus; & contra, quamdiu pluviae cadunt, perpetuus furit Caurus.

§. XXV. Potus quoque in cenſum venit. Nam dum tempeſtas ſicca eſt, quae bis in anno per tres circiter menſes durat, aquae multis particulis noxiis a putreſcentibus piſcibus, aliisque animalibus inficiuntur. His igitur dum Æthiopes uti ſolent, fieri non poteſt, quin noxias particulas affatim hauriant ?.

§. XXVI.

? Poſſem, quae in his paragraphis dixi & aſſumſi, innumeris graviſſimorum Auctorum teſtimoniis confirmare. Sed modus ſervandus eſt; neque nimium neque nihil auctoritati tribuendum.

Aëtius in Libro 20 dicit: contribuunt ad Lepram cibi, qui aſſidue in ventre corrumpuntur; Regio vero hujus mali inductrix eſt, quae valde calida eſt, atque inter illos magis obnoxii ſunt, qui craſſum & viſcoſum ab atra bile redundantem ſanguinem habent, & qui pituitam multam ſalſam aut acidam gignunt. Amplius vero qui victu craſſo & aegre concoctili utuntur, & qui in otio degunt.

Conſtantinus Africanus in Libro de Lepra: Medicorum, ait, eſt inveſtigare Chimorum putredines, quae ex quatuor naſcuntur humoribus. Putredinum autem cauſas aut ex corruptione ſeminis, aut maſculi aut faeminae, ſeu utriusque, aut ex corruptione aëris, aut cibi & potus, derivat.

Pau-

§. XXVI. Neque omittenda eſt Venus; nam genius loci ad libidinem ſtimulat, cui quum indulgeant & Aethiopes & Europaei, a ſervis ad dominos lues paulatim transfertur; eoque quidem fre-

Paulus Ægineta in L. 4. c. 1. Lepram dic't fieri ex atra bile. & originem ex melancholico humore trahere.

Albucaſſer in Lib. 2. c. 13. Lepra, inquit, ex corruptis humoribus conſurgere in corpore conſuevit.

Ex Recentioribus prae caeteris dignus eſt, qui excitetur *Proſper Alpinus*, qui in ſua Medicina Aegypt. c. 15 pag. 55. ait: multa alia exiſtunt, quae ſparſim multos offendunt, quales ſunt Leprae, *Elephantiaſis* &c. In multis pauperibus Lepram atque Elephantiaſin cernimus, qui inopia preſſi aquam coenoſam ſemiputridam ex ſtagnis & lacubus epotaverant, atque pro victu carnem bubulam, cameloiumque & piſces ſalitos ſemiputridos in his ſtagnis & lacubus captos, caſeumque quemdam immodice ſalitum ac ſemiputrem eſitarunt: eſt enim is cibus omnium pauperibus acceptiſſimus, tum etiam familiariſſimus, quia viliſſimo pretio venditur.

Helmontius cauſam Leprae ſtatuit eſſe in quodam veneno, quod vocat cruentum anodynum glaciale propemodum mortificans & archaeum inficiens.

Williſius malam digeſtionem accuſat; dicit enim p. 1179. craſſior ergo rudisque ex maſſa illa conficitur chylus, qui in ſanguinem delatus ab ipſo nequaquam ſubigi, aſſimilarique poteſt, ſed ſanguis ſuffocatis quaſi ſpiritibus ipſius ab illius adventu tardior in motu ſuo redditur.

Sententia *Sylvii* eſt: viſcidum glutinosumque in corpore praeexiſtens ad corporis ſuperficiem cum circulante ſanguine propulſum ibidem ſiſti.

Judicium *Carteſianorum* de cauſa Leprae redolet Magiſtri ſcholam. Accuſant enim copiam ſuccorum & particularum angularium & rigidarum, ſive acidarum ſalſarum, iisdem inhaerentium.

Secundum *Doloei* ſententiam cauſa Leprae eſt acidum coagulativum, quod putat affinitatem habere cum ſcorbuto, cancro, & lue venerea, ſed porro dicit; in Lepra hoc acidum vitioſum ab humore terreſtri ac viſcido implicatur & infringitur; unde non niſi lente rodit. & mediante illa viſciditate corporibus aliis tenacius adhaeret, & volatili ſuo acido per contagium ſe propagat.

Andreas Paraeus agens de cauſa Leprae p. 580. & 81. accuſat

frequentius, quo major eſt Europaearum Fæminarum penuria. Revera enim contagioſam eſſe Leprae luem, quidquid etiam nonnulli contra diſputant, perſuaſiſſimum habeo, & in ſequentibus demonſtrare conabor.

§. XXVII. Cauſae, quas modo enumeravi, quum in America boreali vix locum habeant, non eſt mirum, quod Leprae minor in hac Regione frequentia ſit, quam in meridionali parte. Etenim Mancipia Africana ſalubriore fruuntur aëre, eodemque victu, & potu utuntur quo Domini. Omne genus olera & obſonia abundant; carnes Animalium bene ſaginatorum, ſanorum, recentiſſime mactatorum, parvo pretio venduntur. Ipſa aëris temperatura ad Venerem minus incitat; conſuetudo cum Æthiopibus minor eſt, quum utriusque ſexus inter Europæos juſta proportio ſit; & ſi quod commercium corporis inter Æthiopes & Europaeos ſubinde intercedit, id potius curioſitati, quam neceſſitati tribuendum eſt; atque etiam Leges tum civiles, tum eccleſiaſticae, dum ignominiam quamdam huic commercio decernunt, multum boni praeſtant. Illud denique conſide-

cuſat humores melancholicos corruptos aduſtos, qui plerumque a primo initio generantur, aut adſunt in ſemine, aut in coïtu producuntur, aut per contagionem ab uno ad alterum communicari poſſunt, aut ab ipſo inſalubri vitae regimine oriuntur.

[r] *Cl. de Villars* in Lib. 2. Chirurg. cauſam Leprae eſſe dicit humorem lymphaticum viſcidum cum particulis acidis ſalinis involutum, itaque cum ſcorbuto venereo comparavit.

[s] *Elias Camerarius* in Libro, qui inſcribitur circa Medicinam forenſem cautelae, ſanguinem corruptum accuſat.

Conferri quoque & inprimis merentur *F. Hofmannus* & *Boerhavius* apud *F. Boiſſier de Sauvages* in Noſologia Method. Claſ. 10. ord. 9. 3. in tit. Lepra judaica.

ſiderandum eſt, quod in boreali parte non opus ſit tanto Mancipiorum numero, cum agrorum cultura ob jumentorum uſum a paucioribus hominibus quam plantariorum opera fieri poſſit. Tandem etiam pulchritudinem ſervitiorum, cujus rationem meridionales potius ob luxum, quam utilitatem habere ſolent, boreales minime curant. His igitur de cauſis longe rarior in ſeptentrionali America morbus eſt, non modo inter Aborigines & Europaeos, ſed etiam inter ipſos Æthiopes.

Ætiologia Leprae.

§. XXVIII. Quantam ego in producenda Lepra vim & efficacitatem tribuam aëri, cibo & potui, e praecedente articulo intelligitur. Neque tamen negaverim, peculiarem eſſe materiam & quaſi virus quoddam, ſine quo vera Lepra non producatur. Hoc autem virus, cujusnam ingenii ſit, acidum, an alcalicum, urinoſum, an muriaticum? num potius e diverſis acrimoniis mixtum? definiri poſſe vix putem. Neque lubet, quae a veteribus & recentioribus Medicis hac ſuper re ſcripta ſunt, latius exponere, ſed tentabo ſimpliciter praecipua morbi ſymptomata ſecundum artis regulas interpretari, & quid inde de vera cauſa cognoſci poſſit, quantum in Me erit, colligere. n

§. XXIX.

n *Hippocrates* in libro ſecundo pag. 143. columna 35, dicit: *lepra & pruritus, & ſcabies, & impetigines, & vitiligo, & alopecia, a pituita fiunt.*

Galenus in libro de bonis & vitiatis ſuccis dicit: *leprae ab humore melancholico fiunt.* Idem de ſymptomatum cauſis: *in lepris ſuccus eſt multus craſſus & immotus.*

§. XXIX. Duo sunt, ut antea dixi, Leprae incipientis signa; *color cutis mutatus* & *Anaesthesia.* Haec autem locum habere nequeunt, nisi jam insignis mutatio tam in succis quam in vasis &

Caelius Aurelianus Siccensis accusas sanguinis corruptionem in lib. 4. de lepra pag. 24.

Albucasser in cap. 14. dicit; *Lepra ex corruptis humoribus consurgere in corpore consuevit.*

Paulus Aëgineea in lib. 4. cap. 1. dicit: *cum enim atra bilis ex qua huic affectui origo est ut duplici modo generetur vel enim ex melancholico sanguine faeculentioreque & veluti ejus limo: vel bile flavo utrisque nimium ustis, nascitur subrucundam quidem* Elephantiasim *mitiorem quodammodo, ut autem verius dixeris, minus malignam prima ipsius differentia procreat, reliquam vero, & maligniorem in qua totum corpus fœdatur ulceribus, & extrema decidunt, altera flavae bilis supra naturae modum adustae sobolis, producit.*

Avicennae verba sunt in cent. 3. Tract. 7. I 4. c. 1. *Lepra est infirmitas mala, proveniens ex sparsione cholerae in corpore toto, quare corrumpitur complexio membrorum cum forma ipsorum & figura.*

Constantinus Africanus in cap. 17. ait: *Lepra est nascens de cholera nigra, incensa & putrefacta, apparens in superficie corporis, & nascens de quatuor humoribus sed tamen incensis & corruptis, & in choleram nigram mutatis.*

Isacus in lib. 4. cap. 2 de lepra Consultat. *Oportet*, inquit, *medicum bene investigare humorum putredines quae ex quatuor nascuntur humoribus. cum naturam suam sive simplices sint, sive compositi egrediuntur. Putredinum autem causa ex corruptione est spermatis masculi, sive faeminae. sive utriusque, aut ex corruptione aëris, sive cibi & potus. Ex his enim humoribus corruptis nascitur infirmitas, quae Lepra vocari solet.*

Andreas Paraeus in cap. 11. pag. 584. de praesagienda lepra, consideravit lepram tamquam *cancrum.*

Dolaeus in sua Encyclop. Chirurgiae ration. in lib. 5, pag. 1777. dicit, *Paracelsum* lepram Graecorum a sale arsenici, vel a sale vitrioli plumosi, deduxisse. Idem de *Helmontio* ait p. 1778. juxta sententiam *Helmontii* venenum habet anodynum, non quidem superativum & glaciale propemodum-mortificans cum infectione spiritus sensitivi, ideoque potenter contagiosum, praecipue in regione fervida ac sudorifica. Idem

& nervis cutaneis facta fuerit. Scilicet in lymphaticis vasculis, quae secundum naturam pellucent, videtur stagnatio humorum produci. Ex stagnatione autem oritur quaedam inspissatio, sic ut crassiores atque viscidiores evadant succi: quod ubi factum est, papillae nervosae & glandulae cutaneae sensim sensimque comprimantur necesse est; ex qua compressione fieri non potest, quin facultas sentiendi paulatim pereat.

§. XXX. Lubet, quae dixi, exemplo obvio illustrare: sistamus ergo nobis ante oculos hominem, qui vel acriter verberatus, vel ex infortunio contusionem in aliqua corporis parte passus est. Extemplo videmus insignem coloris in loco affecto mutationem, quae mutatio si rudior ictus fuerit, integram cutis substantiam penetrat, & ipsum paniculum adiposum attingit. Observamus humores in suo cursu turbari & praeter naturam ex propiis suis vasis in aliena pelli. Ipsa vasa si non penitus dilacerantur, amittunt certe suam vim & re-

Idem pag. 1779. *Willisii* opinionem fuisse scribit: Particulas salinas, quae abundantes & pleraeque fixae aut minus volatiles omnibus alimentis insunt, crudas minimasque exaltatas sanguini commixtas, spissiorem hunc reddere concirculationique minus habilem, & ad obstructiones in universis partibus, quas perlustrat, producendis aptiorem, et sic efficere lepram. Idem pag. 183. Judicium *Cartesianorum* esse de causa leprae, ut sit copia succorum viscidorum & particularum angularium & rigidarum sive acido-salsarum. Ipse denique *Dolaeus* putat, quod affectus optimo jure cancer totius corporis, seu gangrena omnium glandularum dici mereatur.

Gregorius Horstius ait in lib. 7. de morbis contagiosis & malignis, pag. 343. causam continentem statuimus specificam & venenatam διάθεσιν jocoris & lienis, quam aliqui malignam temperaturam huic malo propriam dicunt, cujus ratione talis depravata fit sanguinis & reliquorum humorum elaboratio.

regularem contractionem, adeoque humoribus rite vehendis, elaborandisque, inepta redduntur. Humores ergo ipsi corrumpantur necesse est. Etenim ab experientia discimus, fluida sanissima, quia ex diversis partibus conflata sunt, dum stagnant, in putrilaginem verti; & quo plures habeant heterogeneas partes, eo citius, si aër accedere possit, fermentationem & putredinem concipere. Dixerit forte quis, hoc fieri non posse in corpore humano, ubi fluida vasis continentur, quoniam aëri non sint exposita. Et fateor tam cito fieri non posse, quam in aëre aperto & libero. Verum tamen succi animales aërem multum in se habent, atque partibus admodum variis & facile secedentibus constant. Itaque quamquam plus temporis requiratur, ut inclusus aër dissolutionem constituentium corpusculorum perpetret, fieri tamen non potest, quin sub diuturniore stagnatione motus fermentationis producatur; qui ubi semel coepit, tanto fortior esse solet, quanto magis coërcita erant corpuscula. Unde vasa & his interpositi circumsitique nervuli per impetuosam fermentescentium liquidorum expansionem necessario destruuntur. Quem in statum ubi res pervenit, quis credat, ullum superesse sensum posse? Atque haec quemadmodum saepe videmus a causis externis in cute produci, ita profecto ab internis quoque causis fieri nonnunquam possunt, & debent.

§. XXXI. Proximum ergo est, ut inquiramus in illas causas internas, e quibus modo memorata in corpore leproso effecta oriuntur. Et meo quidem judicio praeter specificum Leprae virus, imprimis victus ratio hic consideranda est. Sane nutrimenta prava, non modo morbos omnes, qui cutem occupant & deformant, consentientibus

cla-

clarissimis Medicis, in pejus evehere solent, sed eos ipsos etiam morbos producere valent. Etenim crassi & concoctu difficiles cibi chylum crudum viscidumque exhibent. Quo autem graviores & tenaciores sunt chyli partes, eo crassior fit & viscidior sanguis. Ejusmodi autem sanguis cum difficulter nec nisi magna vi adhibita minimos canaliculos pertransire queat, fieri non potest, quin in ipso transitu graviores particulas ob retardationem deponat. Et quamquam homines robusti, laboribusque indurati, ob validissimas secernendi & excernendi vires hujusmodi crassamenta per alias vias expellunt, tamen etiam semper nonnullae particulae indigestae retinentur, praesertim in glandulis subcutaneis, atque exilissimis vasculis perspirationi dicatis. In his ergo paulatim nascuntur infarctus, & increscente spissamento expansiones, atque nervulorum lentae compressiones; quibus positis facultas sentiendi necessario tandem perit.

§. XXXII. Quae cum ita sint, non dubito asserere, nimiam Lymphae visciditatem e crasso sanguine natam & perspirationis inde pendentem defectum praecipuam esse scabiei, impetiginis, ipsiusque *Leprae* & *Elephantiae* causam. Quod dum affirmo, nolim inde colligi, me hos cutis morbos gradu tantum diversos esse existimare. Immo vero essentialiter differre agnosco, & & suam cuique propriam esse acrimoniam persuasum habeo; si quidem tum in modo agendi, tum in modo semet per corporis superficiem diffundendi, plurimum discrepant. Nam ut uno exemplo defungar, scabies citissime diffunditur, at Lepra lento gradu serpit; scabies numquam faciem occupat, Lepra vero eam horribilem

ali-

aliquando reddit. Illud igitur tantum volo, Lymphae praeternaturalem viſciditatem & corruptum perſpirationis apparatum, quae ambo ex prava diaeta ſaepe oriuntur, in corpore aptitudinem excitare ad ejusmodi cutaneos morbos; hosque niſi illae conditiones adſint, vel omnino non ſuſcipi, vel ſi ſuſcepti ſint, leves eſſe lentosque progreſſus facere.

§. XXXIII. Caeterum probe notari debet, in ſcabie & impetigine ſaepenumero ſolam corporis ſuperficiem eſſe affectam, partibus internis & ſanguine omnino liberis; at vero in Lepra numquam extrinſecus quidquam apparere, quin maſſa humorum veneno leproſo jam infecta ſit. Quae cauſa eſt, cur neque natura per ſuppurationem & abſceſſus in partibus externis factos, aliquid proficiat; neque ars adhibito ferro, cauterio, vel igne, multum valeat. Nam ſi vel unica macula leproſa in corpore extus conſpicitur, inde certo colligere poſſumus, centenas intus plagas miasmate infectas, ſed oculis non patentes, exiſtere. Quamquam igitur illa macula quocumque demum artificio deleatur, & affecta pars penitus conſumatur, tamen intus latens virus manet, & in aliis ſucceſſive locis prodit.

§. XXXIV. Modo dixi naturam in ſuperando hoc miasmate raro aliquid valere. Quod cum perſuaſiſſimum habeam, nolim tamen inde colligi, ejus molimina ſemper fruſtra eſſe: nam ſi corpus Lepra infectum valde robuſtum eſt, fieri poſſe videtur, ut miasma bonis humoribus ſufficiente copia affuſis dilutum ſenſim digeratur, atque ut Veteres loquuntur, penitus percoquatur, tandemque in ſuperficiem corporis eliminetur, atque ibi in cruſtas paulatim verſum ſquamarum ſpecie decidat.

Hac

Hac ratione explicari poteſt, quod Divinus *Moïſes* loco ſupra citato habet, & quod multis autoribus valde paradoxum viſum eſt. Juſſit enim Sacerdotem, cum viderit albam Lepram per univerſum corpus aequabiliter effloruiſſe, ut hominem *purum* pronuntiet. Scilicet ejusmodi aequabilis & univerſalis materiae morbificae excretio demonſtrat, naturam victricem eſſe, atque virus plane ſubactum e maſſa humorum ſeparaſſe & expuliſſe. Et ſane contigit mihi aliquoties videre hujusmodi univerſalem Leucen, quae licet omnia Leprae ſigna monſtraverit, tamen longe felicius citiusque ſanari potuit, quam vulgaris ſpecies, in qua rarae & exiguae ſunt maculae.

De Contagio Leprae.

§. XXXV. Superfluum videri poſſet de Contagio Leprae disputare, de quo nemo fere dubitat; ſi quidem antiquiſſimis legibus cautum eſſe novimus, ne Leproſi commercium cum ſanis haberent. Ex ipſis ſane ſacris Litteris diſcimus, quantam curam habuerit Divinus *Moïſes*, * ut a populo Judaïco ſegregarentur omnes, qui hac foeditate infecti eſſent. Atque aliarum etiam gentium,

* De contagio conſulatur Divinus Moïſes in Levitico cap. 13. *vs.* 44. 45. & 46. *Homo leproſus immundus eſt, omnino eum ſacerdos immundum pronuntiabit, in capite ejus eſt lepra ejus. Leproſi autem in quo plaga iſta eſt, veſtimenta ſunto ſciſſa, & caput ejus eſto retectum, & Myſtazen obvelato, & immundus immundus clamato! omnibus diebus, quibus ea plaga in ipſo fuerit, immundus habetor, immundus eſt; ſolus habitato, extra caſtra ejus habitatio eſto.*

tium, inter quas lues haec cognita fuit, historias si pervolvimus, apud omnes invenimus destinata fuisse habitacula a caeteris remota pro recipiendis curandisque Leprosis. ** Neque tamen constans haec traditio, & communis omnium saeculorum con-

** *Aretaeus Cappadox* in l 2 c. 3. dicit: *Itaque tales quum sint, quis non aufugiat? aut quis non aversetur, licet filius aut pater, aut etiam germanus frater sit? quum metus sit ne morbus communicaretur. Propterea multi in solitudines & montes abduxerunt sibi carissimos.* Idem postea de curatione agens ait: *Triste profecto & visu terribile spectaculum; ferae namque species est. Ac una cum his vivere, una cibum capere perinde atque in pestilentia formidolosum est; etenim per inspirationem & communionem facilis infectio est.*

Aëtius de cognoscendis & curandis morbis in libro centesimo quinto ex libris Archigenis ait: *Etenim suspicionem de se praebet malum tamquam contagiosum, atque ego sane malum esse affirmo cum ipsis conversari; inquinatur aër, quem inspirando attrahimus ex ulcerum foetore ut ex vitiata spiritus exhalatione.*

Sententia *Caelii Aureliani Siccensis* de contagio pag. 96 *Item alii aegrotum in ea civitate, quae numquam fuerit isto morbo vexata, si fuerit peregrinus, occludendum probant, civem vero longius exulare aut locis mediterraneis & frigidis consistere a hominibus separatum, exinde revocari si meliorem receperit valetudinem, quo possunt caeteri cives nulla istius passionis contagione sauciari. Sed hi aegrotantem destituendum magis imperant quam curandum, quod a se alienum humanitas improbat Medicinae.*

Verba *Pauli Æginetae* de contagio sunt: *Quoniam vero Affectus hic non minus ac pestilentia contagiosus est, quam longissime ab urbibus remoti aegri, in locis mediterraneis frigidis & ubi sit hominum si fieri possit, infrequentia, habitabunt, inde vero ad confinia migrabunt tum ipsorum causa tam illorum potius qui ut vero simile est ipsis incident. Quippe sic aëre fruuntur commodiore & alios hac lue non inficient.*

De contagio *Prosper Alpinus* in sua Medicina Aegyptiorum ait: *Aeque sunt mala quae Cayri epidemice grassari solent, multa alia existunt, quae sparsim multos offendunt. quales sunt Lepras & Elephantiasis.*

De contagio agens *And. Paraeus* in libro vicesimo cap. 1 f

consensus impedire potuit, quo minus nonnulli etiam hodie de contagiosa hujus morbi indole dubi-

fugiendam dicit tanquam pestem, quia maxima infectio fit per exhalationem aëris putridi ex ore & ulcerum foetidam. Itaque dicit melius esse separare leprosos a sanis. *Ettmullerus* testatur contagium ad tertiam generationem, interdum ad quartam, propagari solere. *Frederic. Hofmannus* in sua Medicina Systematica Tom. 4 part. 5. cap. 5. de varii generis affectibus cutis dicens, haec verba addit: omnes hi subcutanei pustulosi affectus contagio maxime serpunt & inficiunt, ideoque facile per concubitum, per lectos, per indusia foedo pingui sudore imbuta, maxime vero omnium per pelles animalium & vestimenta ex lana contexta propagantur. Additque in § 24. pag. 200. Lepra omni tempore valde contagiosa fuit habita, ideoque leprosos ab hominum consortio segregandos, & ex urbibus ad externa loca relegandos, censuerunt Medici.

Turneri verba sunt: *ob funestam morbi contagiem infecti ab humano genere prorsus dissociantur.*

Ex Libris Rabbinorum *Tosephta* probat contagium Leprae. Dicunt enim habitationem & aërem, ubi Leprosi habitant, adeo contagiosa esse, ut non solum secundum praecepta S. S. uti dictum, separatim habitare deberent, sed etiam miseram vitam degerent. Non possum hoc loco praeterire, quanto studio Judaei diu post aetatem Moïsis sibi ab occursu & consortio Leprosorum cavendum esse duxerint. Sufficit adduxisse locum e Vajikra rabba sect 16. fol. 159. 3. R. *Jochanan* & R. *Simeon* filius *Lakisch* disceptarunt secum invicem. Prior dixit non licere appropinquare leprosum quatuor cubitos, si Eurus ab ipso flet: Posterior vero dixit Euro ab ipso flante non licere ad centum cubitos appropinquare; sed nulla est inter ipsos dissensio: prius enim valet si ventus non flat; posterius quando flat. Saepe utique Talmudistae *Alexandrum Magnum* imitantur, nodum, quem solvere nesciunt, medium secantes Rabbi *Meyer* numquam comedit ova ex platea seu vicinia, ubi leprosus erat. R. *Ame* & R. *Ase* numquam iverunt in viciniam Leprosi. *Risch Lakisch* quum videret aliquem Leprosum in vicinia, lapidibus illum jecit, dicens, abi in locum tuum &c. Sed hodie Judaei hanc legem uti, alias, vix amplius curant, praesertim Surinamenses, inter quos morbus perinde familiaris est quam inter alios incolas.

bitent. Qui quidem duobus maxime argumentis scepticismum suum tuentur. Primo enim assumunt, a parentibus lepra pessima affectis gigni infantes bene natos & ab hac foeditate prorsus immunes; unde colligunt virus hoc ne quidem per semen, adeoque multo minus aliis modis propagari. Fateor, hoc aliquando ita observari, sed non nisi eo in casu, ubi infantes statim a nativitate in salubrem & temperatum aërem & procul ab ipsis parentibus transferuntur, atque optimo victu nutriuntur. Sic enim fieri posse videtur, ut latens miasma paulatim subigatur, nec erumpi facile queat; praesertim si illud in parentibus, quo tempore Liberis operam dabant, non valde agitatum vel etiam in exteriora corporis jam prorsus versum fuerit. Et tamen hoc ipsum, quod assumpsimus, perrarum est. Contra ea longe frequentius videmus, leprosorum infantes ocius serius per infelicem haereditatem lepra affici, & aliis quoque morbis praesertim putridis valde obnoxios esse.

§. XXXVI. Alterum argumentum, quo illi utuntur, qui contagiosam Leprae indolem negant, desumptum est a conjugibus, quorum alter hac labe inquinatus est, alter vero ab ea immunis manet. Hoc scilicet ita saepe fieri affirmant, sed prorsus commenticium est. Possem ego multis exemplis contrarium demonstrare, atque maritos & uxores, qui ex conjugio hanc foeditatem contraxerunt, nominatim excitare, si verecundia id permitteret. Equidem fateor, posse foeminam diu saepe cum leproso marito vivere sine manifestis suscepti veneni indiciis; praesertim si sana est & justo vitae victusque moderamine utitur. Verum tamen fieri non potest, quin paulatim inficiatur,

&

& tandem etiam externas luis notas monſtret.

§. XXXVII. Stat igitur ſententia, contagioſum eſſe leprae virus, atque de parentibus in liberos, de nutricibus in alumnos, de conjuge in conjugem tranſire; quin etiam perſuaſum habeo, ex diuturno contubernio absque intima illa corporum miſcela per ſpiritum oris & hircina ulcerum effluvia hanc luem cum aliis communicari.

§. XXVIII. Neque ſane eſt, quod hanc leprae propagationem miremur: multis enim exemplis videmus, malignos morbos per ſubtilia quaedam effluvia ab homine infecto in ſanos transferri. Nam ut omittam peſtem & variolas, nonne plurimi cutis morbi ſimplici attrectatione cum aliis communicantur? Nonne per veſtimenta non modo lanea, ſed etiam linea interdum propagantur? Scilicet minima miasmatis particula & pene dixerim atomus ſi corpus ſanum, quocumque demum modo, intraverit, ad morbum producendum ſufficit. Habet enim Leprae virus, ſicut caetera contagia, vim quaſi fermenti, atque totam humorum maſſam per inteſtinum quemdam motum ſibi aſſimilat. Qua propter non dubito, quin etiam perinde ac venenum variolarum & ſcabiei per inſitionem propagari poſſet.

§. XXXIX. Notandum autem eſt, infectionem non pendere a ſola miasmatis efficacia, ſed multum etiam facere temperaturam corporis. Hinc quemadmodum videmus nonnullos homines veneno peſtis, variolarum, ſcabiei diu reſiſtere, ſic quoque fieri poteſt, ut homines quidam cum Leproſis diu impune verſentur, & vel intimo miſceantur commercio, nec tamen Leproſi evadant. Facit huc, quod in ſcholis vulgo dicitur: non ſolum activitatem cauſæ morbificae, ſed im-

primis receptivitatem corporis considerandam esse. Hic igitur in censum veniunt, quae de causis, corpus ad Lepram disponentibus, supra dixi.

Prognosis

§. XL. Ut pulcherrima sic difficillima pars officii medici est *Prognosis*, sive praesensio eorum, quae in morbis futura sunt. Haec nititur diuturna & diligenti obseruatione eventuum, qui in corporibus afflictis, sive per solam naturae autocratiam, seu accedente artis moderamine fieri solent. Nec sane sufficit, naturales morbi, cujus prognosis facienda est, periodos scire, sed necesse etiam est, varias ejus modificationes ex diversis hominum temperamentis oriundas nosse; ipsum denique individuum, de quo agitur, accurate exploratum & perspectum habere. Ut igitur Medicus ad Leprosos vocatus praevidere valeat, quid a natura, quid ab arte exspectandum sit, instructus esse debet notitia eornm omnium, quae ab hoc veneno in diversis hominibus produci solent. Sic enim accedente diligenti aegrorum suorum exploratione per analogiam verisimiliter definire potest., quid cuique eventurum sit, & quantum singulis promittere possiit. Huc ergo multa eornm, quae antea in descriptione morbi dicta sunt, referri debent, quibus Ego nunc nonnullas adjungam obfervationes, quae in Prognosi praecipuum mihi momentum habere videntur *.

§. XLI.

* Non alienum esse puto, nonulla veterum Medicorum loca, quae ad prognosin Leprae pertinent, hic apponere.

Hippocrates in libro 2. prædict. sect. 2. vers. 325. ait; Le-

§. XLI. In nonnulis Lepram a levibus principiis ad summam atrocitatem intervallo unius anni pervenisse vidi. Contra ea in aliis, qui propter inveteratum Leprae venenum morti jam proxi-

Leprae verae & impetigines sunt ex morbis ab atra bile factis; ex his autem facilius sanantur ea quae in maxime juvenibus fiunt; & quae recentissima sunt, & in mollissimis ac carnosissimis corporibus partibusque producuntur. Caeterum in Lib. 1. de morbis sect. 1. Lepram inter morbos non lethales numerat.

C. Celsus cap. 25 p. 177. dicit; ubi vetus morbus est, digiti in manibus pedibusque sub tumore conduntur; febricula oritur, quae facile tot malis obrutum hominem consumit.

Aretaei Cappodocis verba sunt in cap. 13. lib. 2. de curat. diut. morb. verum enim vero omnia conferre simul oportet medicamenta, & victus rationem, & ferramenta, & ignem; haecque si novo & orienti affectui adhibueris, sanationis spes affulget, sin ad summum suae creationis ascendat, in visceribusque stabilis sedeat, quando & in faciem invadit, tum de aegri salute spes est omnis abscissa. Idemque ubi de signis & caussis hujus morbi agit, sapienter pronuntiat: *Elephantiacorum salutem desperatam esse; quia Medicus ad morbi debilissima initia negligens artem non adhibeat, aegrotantium calamitatis ignarus.*

Aëtius in lib de cognosc. & curandis morbis in Lib. 120. ex Lib. Archigenis dicit; Est autem Lepra gravis morbus, & prope ex eorum numero, qui incurabiles existunt. Caeterum dicit, affectio ipsa non solum ob id gravis est, quod indissolubilem fere habet structuram & apparatum, sed quod principia generationis ejus ferme sunt ignota. Quum enim circa superficiem jam vestigia apparent, tunc non gignitur sed perficitur.

Paulus Aëgineta in lib. quarto cap. 1. de prognosi dicit; morbo jam victo manus admovenda non est.

Avicenna in lib. 2. cent. in tract. 2. haec aegritudo, inquit, quum & debilis difficilisque sit curationis, ergo de curatione non sit spes; incipit imprimis ab extremitatibus & membris lenibus, donec pervenit ad membra principalia, & quasi *cancer totius corporis* est consideranda.

Constantinus Africanus in libro de Elephantia dicit; Ex his super annotatis humoribus corruptis nascitur infirmitas, quae lepra solet nuncupari, cujus morbi investigatio difficilis est & labo-

ximi habebantur, mutato vitae genere adeo imminutam ejus ferociam vidi, ut per plures annos nullum incrementum ceperit, siveritque homines sat longam vitam tolerabiliter agere.

§. XLII. Infantibus, quorum parentes morbo hoc laborant, nisi a matre leprosa primis statim mensibus separentur, moriendum est. Quod si vero sanis nutricibus traduntur, & in salubrem frigidioremque aërem transferuntur, saepe ab hoc morbo immunes manent, etiam si ejus seminium in se gerant, quod interdum post plures annos, cum essent in calidam patriam reversi, propullulasse demum vidi; ut dixeris illud tum demum foecundam terram nactum esse.

§. XLIII. Imprimis autem nosse Medicus debet, quid fieri soleat, si alii morbi leprosum corpus

laboriosa in suo initio; postquam vero erit in propatulo, durior est hic morbus ad curandum.

Nec possim quin juniorum quorundam prognostica summatim recenseam.

Ettmullerus igitur agnoscit Lepram inveteratam incurabilem esse.

Andraeas Paraeus de Prognosi Leprae cap. 2. Lepram haereditariam pene incurabilem esse testatur.

Dolaeus in sua Encyclopaedia Chirurgiae rationalis, libro quarto cap. 9. de prognosi ait; Elephantiasin incipientem haud difficulter curari, sed ubi jam altas egerit radices, vestigiis violentiae suae cuti impressis, rem multo jam difficiliorem & periculosiorem esse; medicum tamen spem omnem curationis nedum abjicere debere sed quando ad summum malignitatis acumen adscenderit, insanabilem plane esse; pro ut etiam quae haereditaria est, quae numquam in totum extirpari possit, cum ejus principia primis jam foetus staminibus combinata, arcte nimis partibus adhaereant, unde hos & confirmatos elephantiacos & leprosos spem curationis abjicere jubemus

Allen ex Turnero testatur ob magnitudinem morbi, plane incurabilem esse.

pus invadant. Ergo de variolis primo notandum eſt, eas perinde in leproſo atque in ſano & mundo corpore ſuum curſum abſolvere, neque notabilem fieri mutationem, niſi Lepra ſit provectior. Quod ſi confluunt variolae, aut diarhoea superveniat, certo moriuntur Leproſi. Vidi ſaepe, cum membra ante morbum varioloſum leviter tantum affecta fuiſſent, Lepram brevi confluentium variolarum curriculo adeo exaſperatam, ut digiti ſine difficultate, ſine ullo dolore, ex juncturis ſuis eximi potuerint. Interdum etiam poſt variolas ſuperatas vidi inſignes carnoſarum partium maſſas praecipiti quadam putrefactione a corpore ſeceſſiſſe, ita ut miſeri carnibus fruſtulatim lapſis tandem perierint. In aliis leproſis poſt ſanatas variolas univerſalem obſervavi herpetem a capite usque ad calces, qui quamquam idoneis remediis primum cedere videretur, brevi tamen reverſus eſt, atque ita ter quaterque repreſſus, jugiterque exasperatus, tandem induxit fatalem dyſenteriam, qua extincti ſunt.

§. XLIV. Nihil autem frequentius eſt connubio leproſi & venerei veneni. Nam homines Lepra affecti tam inter initia quam in progreſſu morbi, ad rem veneream mirabiliter incitantur. Quod cum veteres Graeci jam obſervaverint, leprae dederunt nomen *Satyriaſis*, quo non tantum deformem Satyri faciem atque hircinum foetorem, ſed etiam libidinoſam leproſorum indolem denotare voluerunt. Hoc igitur ſtimulo agitati variam frequentiſſimamque venerem exercent, atque ſic virus leproſum cum aliis communicant, & viciſſim venereo ab aliis hauſto inficiuntur. Dici autem non poteſt, quam difficilis ſit talium

hominum cura. Etenim mercurialia Pharmaca Lepram ſemper vidi exaſperare; quorumuſus quidem dum aliquamdiu continuatur, ut plurimum putridiſſimam producit dyſenteriam, cum intolerabili foetore, quem robuſtiſſimus quisque vix per aliquot minuta ſine animi deliquio ferre poteſt.

Sunt autem inter effecta conjunctorum horum miasmatum imprimis ulcera cancroſa, quae in pudendis oriri ſolent, ad omne genus medicaminum rebellia. In his quoque tentavi Mercurium omnibus modis ſumma cum circumſpectione, ſed ſemper mala inde ſymptomata vidi producta. Omninoque multiplici experimento obſervavi Mercurium ſuperando veneno leproſo prorſus ineptum eſſe, nec tantum nihil boni praeſtare, ſi venereum miasma leprae ſemet junxerit, ſed etiam nocere, ubi contra ſcabiem, herpetem, zonam igneam aliosque morbos cutaneos leproſa corpora affligentes adhibeatur.

§. XLV. Quae quum ita ſint, oportet ſane Medicum in facienda Prognoſi valde circumſpectum & lentum eſſe, neque in promittendo liberalem; praeſertim ſi aegri regulas diaeteticas negligere ſoliti ſint, & aliis etiam morbis, verbi gratia ſcabie, herpete, impetigine, ulceribus venereis, ſimilibusque laborent. Hujusmodi aegros praeſtat non admittere, quam periculum in deſperato caſu facere. Et licet ab aliis morbis immunes ſint leproſi, Prognoſis tamen ſemper incerta eſt, tum propter ferociſſimam mali indolem, tum etiam ob curae diuturnitatem, quae facit, ut errores & vitia diaetae evitari vix poſſint.

§. XLVI. Ante omnia caveat Medicus, ne tempus curae impendendum praeſtituat. Et ſi

enim

enim levia ſunt in externis partibus Leprae ſigna, tamen malum ſemper eſt pertinax, atque ut eradicetur, multum temporis & artis poſtulat. Deſiderant autem aegri vehementer, ut certum curae tempus conſtituatur. Quod ſi Medicus ſat longum ſpatium ſibi ſumit, nolunt ſe ſubmittere, ſed ad Agyrtas & Medicaſtros, qui externis maxime remediis in perniciem aegrorum utuntur, ſemet conferunt. Sin vero Medicus terminum curae conſtituit juſto breviorem, dociles quidem & obſequioſos habet aegrotos in principio, ſed elapſo, quod ſibi ſumpſerat, tempore, eosdem difficiles moroſos & dicto non amplius audientes experitur.

Methodus Medendi.

§. XLVII. Qui morbo alicui ex arte mederi cupit, eum oportet non modo ipſam morbi indolem noſſe, ſed imprimis etiam ad molimina naturae diligenter animum advertere. Eſt enim actuoſa ſemper natura, & quamquam gravi ſub onere preſſa ſubinde langueat, tamen motus quosdam in ſalutem aegri tendentes ciet. Hos autem motus adjuvare, atque ſi forte nimii ſint, ad aequum temperare; ſin contra juſto ſint debiliores, eosdem incitare Medici officium eſt. Enim vero fateor morbi, de quo nunc agimus, tantam eſſe vim & tam ſubdolam ferociam, ut naturae facultates medicatrices ut plurimum ſuperet. Sed tamen natura ei ſeſe aſſidue opponit, & venenum ab interioribus corporis in ſummam cutem expellere conatur; quod quidem excretionis criticae opus ſi penitus perficere valet, fieri poſſe

 vi-

videtur, ut ſine artis auxilio hoſtem vincat; idque aliquando, licet rariſſime, fieri, credo. Haec certe ſola eſt via, qua natura ad debellandum hunc morbum utitur, & quamvis plerumque fruſtra ſit, indicat tamen Medico, quem ad modum ſe gerere debeat. Nimirum rationalis curae praecipua momenta ſunt; primo, ut perſpiratio ſanctoriana, quae in leproſo corpore tantum non penitus ſufflaminata eſt, inſtauretur; deinde, ut virus ſufficiente bonorum ſuccorum copia dilutum per reſeratos cutis poros ſenſim expellatur; porro, ut interea temporis, quod ſat longum eſt, ſedulo caveatur, ne particulae acres ac putridae corpus ingrediantur vel in eo colligantur; denique, ut totus corporis habitus, poſtquam rite purgatus eſt, firmitudinnem & robur quoddam nanciſcatur *.

§. XLVIII.

* Non abs re erit, praecipua quae de cura Leprae ab antiquis Medicis tradita ſunt, hoc loco adducere; atque nonnulla e recentioribus deſumta ſubjungere.

Hippocratis ſententia de curatione occurrit in Libro de Humidorum uſu Num 8. ubi dicit: Leprae acetum ad ſolem calidum affuſum prodeſt. Idem in Libro de morbis Popularibus ſect. quinta, vers. 38. Ad Vitiliginem ait & Lepram, Calcem in Aqua exhibeto, ut ne exulceres ſecundariam, ſi non diſcedant.

Celſi methodus in Capite 25. pag. 177. propoſita huc redit: Protinus ergo inter initia ſanguis per biduum mitti debet, aut nigro Veratro venter ſolvi. Adhibenda triduum, quanta ſuſtineri poteſt, inedia eſt: paulum deinde vires reficiendae & ducenda Alvus: poſt haec ubi corpus levatum eſt, utendum exercitatione, praecipue curſu: ſudor primum labore ipſius corporis, deinde etiam ſiccis ſudationibus evocandus; frictio adhibenda: moderandumque inter haec, ut vires conſerventur. Balneum rarum eſſe debet; Cibus ſine pinguibus, ſine glutinoſis, ſine inflantibus & alia.

Aretaeus Cap. 13. de Curatione Elephantiaſis in lib. 2. de curat. diut. morb. haec tradit: omnia conferre ſimul oportet,

§. XLVIII. Prima igitur Medici cura sit, ut animum aegri praeparet & obfirmet ad satis longam patientiam, instruatque praeceptis diaeteticis. Quo circa bonum est ut difficultatem curationis

tet, medicamenta & victus rutionem & ferramenta & ignem ——— venas in cubito ambas incidito; incidito & venas in malleolis eodem die ——— postea medicinam sacram non semel propinato ——— omnia saepius iteranda sunt ——— Esto & alia medicamentosa in cibis purgatio ——— ac etiam promiscuum atque indiscretum sed largius ad Alvum molliendam detur. Verum quintam Aquae partem, quo Lac totum dilabatur atque descendat, adjicito At Jejunos primo ad vomitum celerius ducito, deinde a cibis iterum, postea assumptis Raphanis. Frequenter autem atque assidue omnia fiant. Veratrum quolibet tempore, sed potius Vere atque alternis diebus exhibeto: atque idem in proximum annum repetatur. ——— Caeterum si Morbus invaluerit potabilia Medicamenta, quotquot quis cognoverit, potanda praecipiat. Multa enim ac varia adhibere Medicamenta, est operae pretium. Horum deinde varia cum memorasset, sic pergit: Quin etiam Viperarum reptilium ferarum carnes & ipsae in pastillos conformatae bibuntur. Oportet autem & caput & caudam ad quatuor digitorum spatium praecidere, reliquum usque eo elixare, donec separentur. Carnes vero in pastillos redactas in umbra frigefacere, quemadmodum & squilla, exhibeantur. Ipsae quoque viperae in coena obsonio dentur quas conquiri & condiri, perinde ac pisces opus est. Atsi medicaminis illius varii ex viperis compositi facultas adsit, id pro omnibus, quandoquidem omnia simul continent, bibendum est. Denique ad externa remedia transiens censet utilem saponem in balneo, item hordei, foeni graeci cremoris decoctum, item ex Oleis rosaceum aut lentiscinum: dicit enim assiduas lotiones ad corporis madefactionem, & ad noxiarum humiditatum expulsione munire proficere ———. Tandem postulat escaut sit munda, boni succi creatrix, concoctu facilis, & victus ratio prorsus recte instituta sit, in somno & vigilia, in ambulationibus & locis deligendis. Lit. d. p 135. Exercitationes adhibeantur, cursus, conversiones corporis, perae aut sacculi jactus. Omnia haec citra lassitudinem apte & congruenter intendantur. pag. 136. Lit. b. Inter alia veratrum album omnium purgantium efficacissimum esse, ad hunc morbum de-

nis minime diſſimulet, & ſerio moneat de malis ſequelis, quae errores in diaeta commiſſos excipere ſolent, omnemque ſanationis ſpem interdum auferunt. Quae ſi rite facit Medicus, non modo

debellandum judicat, & ejus utilitatem cum ſummis laudibus extollit accommendat.

Galenus multa habet de cura Leprae, quorum paercipua ſeligam. V. g. in lib. 6. com. in *Hippocratis* Aphoris pag. 476. lib. b. Elephantem inchoantem primum ſcribit per venae ſectionem & purgationem ſe ſanaſſe. Idem latius exponit quomodo lepra curetur intra *Iſaci* 59. Cap. 5. de compoſitione Medicamentorum ſecundum loc. 5. pag. 160. lit. h. Ubi praeter alia occurrunt quinque Leproſorum curatorum hiſtoriae, quarum unam, quae valde mirabilis eſt, hic apponam. Verba *Galeni* ſunt: Erat apud nos in Aſia in pago quodam Elephantiaſi vir laborans, qui primo quidem reliquis convivebat ac cum familiaribus verſabatur: ubi vero nonnulli ex conſuetudine contagio maculari coeperunt, ipſeque jam foetore & terribili ſpecie deteſtandus eſſet, in edito loco prope pagum juxta aquae rivulum pagani tebernaculum aegro habitandum ſtruxere, cui deinceps diarium alimentum ſubminiſtrarent. Proxima aeſtate circa Canis ortum colonis vicinam metentibus ſegetem, miniſter odorati vini lagenam, quam attulerat, propter agri marginem dimittens abiit. Coloni labore functi, cum ad pocula acceſſiſſent, ac quidam eorum adoleſcens vinum in craterem funderet, ecce exanimata vipera ſimul collapſa bibituros non minus abominatione quam metu conſternavit: ac ipſi quidem aquam potantes, vinum aegrotanti attulerunt, humane ſe acturos exiſtimantes, ſi tantam viri calamitatem morte redimerent, quam ex eo veneni hauſtu plane futuram arbitrabantur: at ille novo quodam prorſusque admirando eventu ab hoc ipſo potu ſanatus eſt. Excidit nova cutis tota dura & veluti lapidoſa, non ſecus acſi cancris locuſtisve aut caeteris hujusmodi cruſtaceis animalibus teſtam, qua conteguntur, abſcideris. Similes narratiunculas habet *Aretaeus* in lib. 2. de ſign. & cauſ. diut. morb. cap. 13. Et ſapiens ſubjungit: *Ita habet fabula non admodum quidem vera, neque tamen fidem valde excedens. Malum enim malo pulſum eſſe probabile eſt.*

Caelii Aureliani ſententia de cura Leprae prope eadem

Cap.

do aegris suis bene consulit, sed etiam famae suae prospicit. Atque hanc sui officii partem, ut accuratius peragere possit, necesse est diligenter inquirat in vitam ante actam & regimen, cui aeger adsuetus fuit.

§. XLIX.

Cap. I. de Elephantiasi p. 94. est, quam retulimus in Notis praecedentibus.

Aëtius de Cura Elephantiasis ait; post sanguinis autem detractionem paucis diebus interpositis Alvus inferne subducatur. Et primum quidem Colocynthidis pulte utendum est, ex qua catapotia XVIII. Nucum ponticarum magnitudine exhibeantur; sequenti deinde die 12 catapotia praebeantur. Si vero accipere recusarit, per hieram nostram purgato. Prae aliis Lac varii generis promiscue aut ejus serum cum albo veratro aut [s]camonio ad sanationem commendat. Cap. 122. pag. 416. Narrat de Castratis, quod nunquam Elephantiasi laborent, nec tam facile foeminas; contraria vero exempla de utroque hominum genere ego multa adducere possum. Porro pag. 417. de cura sic continuat; nam & per seipsum, unum quodque eorum potatum utilissimum esse existima. Describit etiam Elephantiasis Curam Indorum, qui mali materiem assidue persedem eluere ideoque Urinae Asininae infusionem heminae mensura calefactae dare consueverunt. Crocodillum item terrestrem accipiunt, ejusque extremas partes amputant, ac interiora projectant, deinde fermento obvolutum reponunt, post ablato fermento, & scabritie ejus derasa, carnis ipsis drachmam unam quotidie praebent, & magnum sane testiomnium de hoc Remedio dant. Asellis cum hydromelle potatis magnam vim ipse adscribit. De cura Viperarum assensus est *Areteo Cappadoci* Qui plura scire cupit, ejus Libros perquirat.

Vix alia habet *Paulus Aegineta*, qui ipse fatetur, quod sibi sententia sit plane eadem cum *Cappadoce* & *Aëtio*. Adducam solummodo, quod Carni viperarum in cura Leprae maximam laudem attribuat, etiam Scyllae radicem cum illis commeltam proficuam esse comendnes.

Avicenna Lib. 4. §. 3. Tract. 2 primo latere dextro circa initium comprobat Carnem viperarum & varia genera Medicamentorum in Cura Leprae; quod perscrutatu dignum est.

Constantinus Africanus cap 47. pag. 187. de Remediis circa curam Leprae agens maxime in usum vocat Purgantia & Aromata, carnemque Viperarum, cujus usum ita describit: Capiantur

tres

§. XLIX. Victus autem ratio talis ſit, ut aeger per tres continuos menſes ab omnibus carnium & piſcium generibus abſtineat, & nihil praeter panem & olera atque ex bonis carnibus parata juſcula, in cibum aſſumat. Butyrum, caſeus & lacticinia parce concedenda; & a lacte quidem in principio curae, quamdiu ſcilicet alvus obſtructa eſt, omnino abſtinere praeſtat; poſtquam vero ad naturalem modum rediit, concedi poteſt.

§. L. Ipſam curam ſemper a laxantibus inchoavi. Quem in finem primo emollientibus clysmatibus atque eccoproticis remediis uſus ſum. Quae ſi indicationi non ſatisfaciant, pedetentim ad

tres nigri ſerpentes, capitibus & caudis ad menſuram quatuor digitorum abjectis, media eorum in ollam novam immittantur, poſtea addantur ſapo albus & oleum, & inmortario tamdiu agitentur, donec ſpiſſentur ut mel. Similia plura etiam refert eodem libro.

Ample quoque deſcribitur Cura Leprae ab *Iſaco* Lib 4. med. praxis Fol. 63. nihil ferre diſcrepans.

Andreas Paraeus credidit, nullam medelam ſupereſſe in Lepra inveterata praeter Carnem viperinam quotidie commeſtam; videatur de Cura ejus pag. 585. Cap. 13.

Dolaeus in ſua Encyclopaedia Chirurgiae rationalis aſſeverat Curam Leprae inſtituendam ut in Scabie ſed paulo fortiorem, prae aliis virtutem Viperarum extollit pag. 1207. & ſequentibus.

Inter RR. conferri prae caeteris meretur *Coldevillas* Tract. ſuo Chirurgiae Cap. 2. pag. 77. & ſequentibus.

Recentiorum Medicorum permulti praecipuam in curanda Lepra virtutem tribuunt *Mercurio Vivo*, ejusque praeparatis. Sed quid de hujus medicaminis efficacia ſtatuendum ſit, ſatis ſuperque in ipſa diſſertatione dixi.

Unum hic addo: *Curam Viperinam*, a veteribus laudatam, minime ſpernendam eſſe: quin potius aliquid ſpecifici habere videri; id quod pluribus exemplis, niſi chartae parcerem, confirmari poſſet.

ad fortiora pharmaca procedendum eſt. Semper autem ſollicite a mercurialibus abſtinendum; quae quippe in corporibus leproſis nunquam non violentos motus, & moleſtiſſimos ſpasmos, nec raro periculoſam Hypercatharſin producunt. Quoties autem neceſſitas eſt fortiorum purgantium, ſi quae ſimul indicia plethorae adſint, venam prius ſecari convenit, largamque ſanguinis copiam mitti, ne vehementia motuum inteſtinis inducendorum abundantem humorum maſſam nimis exagitet. Poſtquam vero purgantium uſu inteſtinorum pigrities ſuperata eſt, ad leniora redire convenit, ideoque tunc quotidie unum vel duo clysmata injici, & matutinis horis drachmam unam ſaponis veneti cum Rhei pauxillo, forma pilularum, dari expedit: idque aſſidue faciendum eſt, usque dum alvus ad naturalem tenorem revertitur.

§. LI. Jamque ad ea veniendum eſt, quae medicationi praecipuae conveniunt, ut ſcilicet cuticulare organum, & quae per illud fieri debet, ſanctoriana perſpiratio pedetentim in integrum reſtituantur. Huc imprimis faciunt *balnea tepida*; quorum tamen in uſu opus eſt prudentia; nam ſi morbus altas jam egit radices, & ad ſummum fere pervenit, aegri in principio ea non ferunt, ſed magnas inde anxietates & cordis palpitationes percipiunt, interdum etiam ſpasmos & convulſiones, quin animi deliquia patiuntur. Ergo ut ſenſim adſueſcant, bis tantum in ſeptimana balneum ingrediantur, nec niſi per decem aut quindecim horae minuta, in eo maneant. Sic paulatim ferre diſcunt; quo facto e re eſt, ut ſingulis diebus bis eo utantur, ſcilicet ma-

mane de lecto ſurgentes; tum vespere, antequam cubitum eunt. Balneis autem convenit herbas quasdam e genere emollientium, leniterque detergentium, addi; velut herbam malvae, altheae, violarum, meliloti; flores ſambuci; chamaemeli, item folia & bulbos liliorum alborum: furfures tritici aut ſecalis & ſimilia. Neceſſe autem eſt, quoties balneo exeunt, ſtatim ſe in lectum conferant, atque per horae ſpatium ſudori leniter evocando operam dent.

§. LII. Magnum etiam ad inſtaurandam perſpirationem momentum eſt in *corporis motu*. Quare aegri jugiter monendi ſunt, ut aſſidue corpus exerceant, eoque magis, quo major eſt languor & averſatio motus animalis. Sic enim non tantum pori cuticulares ſenſim magis magisque aperiuntur, ſed praecavetur etiam, ne ſevum, quo articuli inungi ſolent, leproſo veneno incraſſatum prorſus coaguletur. Atque hoc nomine facilius eſt, ſervos curare quam liberos. Quum enim omnes hoc morbo affecti torpeant, & a labore atque exercitiis abhorreant, valet omnino de hac lue, quod de Hydrope *Celſus* alicubi dixit: *promptius illis ſuccurri, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas eſt.*

§. LIII. Venio nunc ad praecipuum artis inſtrumentum, cui in ſanando hoc morbo plurimum confido, ſcilicet ad *potum*. Neceſſarium enim eſſe exiſtimo, ut infecti humores largiſſima fluidi diſſolventis atque detergentis copia diluantur atque ad excretionem praeparentur. Quem in finem primo leniora & magis emollientia decocta exhibere ſolitus ſum; deinde ad fortiora & magis ſudorifica tranſire. Inter leniora numero de-

co-

coctum hordei, decoctum avenaceum, imprimisque infusa Theiformia ex herbis resolventibus & abstergentibus, v. g., herba agrimoniae, hederae terrestris, fumariae, abrotani, veronicae &c. quibus interdum emollientia & laxantia lenibus carminativis mixta addi convenit, praesertim si alvus adhuc adstricta est; quo imprimis faciunt malva, parietaria & caeterae emollientes herbae; tum folia sennae & Rha barbarum cum pauxillo anisi stellati. Horum usus per sex septimanas continuus esse debet, ea quidem mensura, ut aeger dietim octo circiter decocti libras bibat. Quae si recte fiunt, observamus interea naturales corporis excretiones per alvum, renes & cutim paulatim instaurari; & in urinis quidem quotidie copiosum videmus sedimentum rubro plerumque colore, interdum nigro tinctum.

§. LIV. His ergo rite & ordine factis expedit fortiora resolventia & sudorifera propinare; inter quae eminent radix saponariae, sarsaparillae, chinae, contrajervae, serpentariae virginianae, pimpinellae, Rhapontici, Zedoariae &c. item lignum sassafras, lignum juniperinum; pariterque folia scolopendriae, herba Cardui benedicti, pareirae pravae, similesque. Quae quidem forma decoctorum rectissime dantur. Et quo majore copia haec bibuntur, eo citius & plenius cura perficitur. Mensuram & terminum definit nausea. Atque dum haec fiunt, regulae diaeteticae ante praescriptae religiosissime observentur, necesse est.

§ LV. Interea tamen imbecillitati corporis aliquid dandum est. Sunt enim homines, qui fortiora illa quae modo memoravi, omnino ferre nequeunt, saltem nonnisi parva copia ferunt. His optime succurritur, si nutrientia detergentibus ac resolventibus misceantur. Igitur decocta ex

hordeo, avena, fagopyro, milio, manna graminea, oryza, cum uvis passis tam majoribus quam minoribus facta, eis affatim danda sunt. Concedenda quoque juscula, serum lactis dulce, ipsum lac, subinde etiam ova. Quinimo unus & alter vini haustus per diem recte datur; praesertim si ei adsueti fuerint. Inter vina autem convenientissimum esse vetustum *Rhenanum* arbitror. Ab omnibus, quae manifestum acidum continent, nec non a spirituosis omnino abstinendum est. Acida enim in leprosis corporibus febres solent producere intermittentes, tum tertianas, tum quartanas, interdum etiam lentas curatu perdifficiles; spirituosa vero febres ardentes saepe accendunt praesertim in calidioribus regionibus: quae si incidant, cura Leprae interrumpitur & in longum protrahitur. Quod si tamen aegrorum debilitas exigat roborantia, melius est missis spirituosis illa cardiaca & nervina exhibere, quae sine magno stimulo & calore corpus excitant firmantque, velut conservam florum cordialium, extracta cascarillae, corticis peruviani, absynthii, menthae, melissae, item liquorem anodynaum, aut balsamum vitae *Hofmanni*, elixir viscerale aquosum, confectionem alkermes, pariterque pulverem bezoardicum Wedelii, Comitissae Kent, cephalicum Michaëlis, antispasmodicum rubrum, quibus etiam Castoreum & subinde aliquid Camphorae addi potest.

§. LVI. His dum aeger utitur, sollicite ab aura frigida & vento sibi caveat necesse est. Facile enim fit, ut sudores critici suscepto frigore repellantur, & versus interiora corporis lati ingentem diarrhoeam producant. Haec autem tametsi periculosa non sit, tamen vehementer terret, & revera corpus magis labefactat, morbique retar-

dat

dat sanationem, imo nisi prudenter tractetur, pejora etiam symptomata post se trahit. Vidi certe ab adstringentium usu repressae diarrhoeae successisse convulsiones & epilepticos insultus. Itaque tum ab adstringentibus, tum a laxantibus, abstinendum est. Aeger autem statim lecto committendus, jubendusque ut magnam infusi Theiformis copiam cum granis aliquot Theriacae caelestis hauriat. Sic enim optime diarrhoea sistitur & sudores revocantur. Quo facto ad usum priorum decoctorum caeterorumque, quae antea praecepimus, redire debet.

§. LVII. Neque alienum erit notasse, quod frigus in hac curae periodo imprudenter corpori admissum aliquando Tetani speciem loco Diarrhoeae producat; cui symptomati ita occurrendum est, ut aegro ad lectum relegato statim Opiati cujusdam liberalis haustus propinetur; idque si opus fuerit, etiam repetatur; unaque decoctum aliquod leniter aromaticum, atque restituendis sudoribus idoneum larga manu per vices exhibeatur; ita terrificum hoc symptoma brevi superatum vidi.

§. LVIII. Remediis, quae hactenus exposui, per trimestre circiter spatium adhibitis, convenit venam secari, & aliquid sanguinis pro ratione virium educi, eo praesertim consilio, ut de praesenti humorum conditione accuratiusjudicium fieriqueat; observavi autem saepissime, sanguinem in hac periodo missum post brevem statum congegi crusta viscida, tenacem gelatinam referente coloris viridis, simulque in insulam & serum secedere, quod in principio curae non facit. Serum autem quamvis adhuc viscidulum & viride soleat esse, tamen eatenus bene sperare jubet, quatenus spontaneo secessu declarat, par-

tes sanguinis jam magis esse discretas, quam in leproso corpore esse solent. Licet igitur externa sanguinis species nondum talis sit, qualis esse debeat, notat tamen inchoatam esse, quam expectamus, resolutionem. Haec autem ut promoveatur perficiaturque, e re esse arbitror, ut decoctis adjungatur usus extractorum ex herbis amaris & resolventibus factorum: velut extractum fumariae, Cardui benedicti, Centaurii minoris, Pimpinellae, Absinthii, Ari, Nicotianae, aut quae ex his vario modo & proportione inter se mistis conflantur. Neque erit incongruum, si quae necessitas ventris incitandi adsit, modo dictis addere extractum Rhei, vel Diagridii sulphurati, vel Aloës pauxillum, aut aliquid salis cujusdam digestivi, verbi causa: Arcani tartari, Salis febrifugi Silvii, Tartari vitriolati &c. In his tamen semper opus est prudentia, nec nisi parce & raro exhiberi debent; metus enim est, ne incaute data alvum fortius, quam par est, moveant; vel etiam, quod deterius est, vias urinarias stimulando Satyriasin vel Priapismum inducant, quae quidem nociva cupiditas, quo est leprosis familiarior, eo majore cura praeverti debet; atque sine mora, si forte Ægrum incesserit, nitrosis, anodynis, camphoratis, & emulsis refrigerantibus reprimenda est. Venerem enim in hoc curae stadio imprimis vitari oportet.

§. LIX. Numquid etiam externa Remedia valent?

Equidem si foetida & putrida ulcera in corpore leproso adsint, aut morbus jam eo increverit, ut extremi corporis articuli vacillare & solvi incipiant, utique necesse est, ut extrinsecus idonea quaedam remedia applicentur; quem in finem optimas esse puto tincturas Aloës, Myrrhae

& Succini fine fale Alcalino paratas, quae quidem linteo carpto exceptae, bis de die applicari debent, ut plagae leprofae contra aëris injurias defendantur, fimulque antifeptico fotu ab ulteriore corruptione praeferventur. Ceterum omnia oleofa & pinguia fedulo evitari debent, imprimisque unguenta mercurialia: Mercurium enim quovis modo praeparatum numquam impune fert leprofa cutis, quamdiu Miasma in interioribus corporis adeft. Poftquam vero maffa humorum idoneis medicaminibus repurgata eft, tunc utique ad refolvendos cutis callos, emolliendumque corporis habitum, lenia quaedam unguenta debito modo & tempore illita profunt, velut unguentum enulatum fimplex, unguentum de Althaea, de Styrace & fimilia.

§. LX. Poftquam ea, quae expofui, per trimeftre fpatium diligenter facta funt, fi forte obfervemus, aegros non poffe ftrictiffimam, quam praecepi, diaetam diutius ferre, licebit aliquantum remittere, atque nonnihil folidioris materiae in cibum eis concedere. Caeterum oportet in ufu eorum, quae commendavimus, tam pharmaceuticorum quam diaeteticorum pertinaciter perfeverare, ufque dum certa fanationis criteria appareant. Scilicet fi cuncta rite obfervata fuerint, fexto vel feptimo ab inchoata curatione menfe, incipiunt cruftae & calli, quibus obfeffum eft corpus, paulatim emolliri & diffolvi, tandemque prorfus feparati fponte cadunt, adeo ut univerfus panniculus adipofus aliquando de mufculofis partibus abfcedere & velut detrahi videatur. Quod cum in univerfa corporis fuperficie fieri folet, tum praecipue in pedibus notabile eft, a quibus integram interdum cutem eo modo feparatam vidi, ut aegrum dixeris podothecas depo-

 fuiffe,

ſuiſſe. Depravata autem & calloſa poſtquam ſic defluxit pellis, nova apparet cutis, ſed adeo tenera, ut recens nati infantis carnis mollitiem ſuperet, magnamque idcirco difficultatem in motu pariat. Tanta enim eſt ſenſus ſubtilitas, ut leviſſimus attritus dolorem excitet, & quanquam ab omni motu & frictione ſibi caveant, tamen per aliquot dies pruritum quendam in recenti cute percipiunt, qui quidem per ſe niſi externa irritatio accedat, injucundus non eſt.

§. LXI. Atque haec phaenomena, ubi in externo corporis habitu obſervantur, tum utique certi reddimur curam proſpere & feliciter ceſſisſe. Neque tamen credere debemus, eam perfectam abſolutamque eſſe, ſed omnino neceſſe eſt, ut per aliquot menſes in uſu ſimilium medicaminum perſiſtamus. Taedet autem plerumque aegros, devoratis tot pilulis potisque tot decoctis diutius perſeverare, ideoque ſimul ac vident, cutem corporis renovatam eſſe & quaſi redintegratam, tum ſtatim negligentes fiunt, & diſciplinae Medici ſe ſubducunt. Verum tamen ſerio monendi ſunt, ne hoc faciant. Nam ſi cura ocyus & praemature interrumpitur, fieri poteſt, ut malum poſt aliquot annos ex relictis quaſi radiculis quibusdam repullulet. Hujus ergo infortunii culpa ne in Medicum conjiciatur, non debet aegros ſuos prius dimittere, quam per integrum annum detergentibus iſtis & mundificantibus remediis uſi fuerint. Immo hortari eos, dum dimittit, debet, ut per omnem vitam bonae diaetae ſtudeant. & corpus ut par eſt, quotidie exerceant, atque ſic ſecretionum & excretionum tenorem recte tueantur.

§. LXII. Sub finem curationis neceſſe eſt, ut corpori per morbum & medelam plurimum debi-

debilitato ſuccurramus. Solet enim ſudoribus fere diffluere. Convenit igitur balnei tepidi uſum intermittere, & ea omnia facere, quae vaſa nimium laxata confirmare valent. Quocirca temperamentorum ratio habenda eſt; in aliis enim humida, in aliis ſicca via praeſtat. Igitur vel ſpirituoſis quibusdam aqua temperatis, verbi gratia ſpiritu Vini vel Sacchari, univerſum corpus aliquoties de die abluendum eſt, vel fumo ex herbis aut gummatibus adſtringentibus imbuendum; qualia ſunt Maſtix, Olibanum, Gummi Elemi, Benzoë, item flores Lavendulae, ſpicae &c. herba Menthae, Meliſſae ſimiliaque. Horum frequenti uſu externa corporis ſuperficies paulatim nitorem ſuum & firmitudinem recuperat. Atque ſic tandem, Deo adjuvante, leproſum corpus in ſanitatem priſtinam reſtituitur, quam tum demum adeſſe pronunciabimus, quando omnes nodi & tubercula reſoluta ſunt, omnesque maculae evanuerunt, ſentiendi etiam facultas in plagis, quae ſenſu antea carebant, rediit, ſanguis d nique, vena ductus, neque cuticulam in cruore, neque viſciditatem in ſero amplius monſtrat, ſed quiete & mora in bene coloratam inſulam & perſpicuam lympham, uti ſecundum naturam ſolet, debita menſura ſecedit.

§. LXIII. Supereſt ut ea, quae facienda ſunt, ſi forte allii morbi Leprae adjungantur, breviter exponamus. Igitur ubi ulcera venerea in corpore leproſo obſervantur, Decoctis antea deſcriptis oportet admiſceri ligna, quae vulgo antivenerea vocantur. Prodeſt etiam Antimonium crudum in ſacculo incluſum, atque cum caeteris ſpecibus decoctum. A mercurialibus Pharmacis ſemper ſollicite abſtinendum eſt, ut ut urgentia ſint luis venereae ſymptomata. Quod ſi corpus

callis & tophis venereis obsessum sit, eos fomentis cataplasmatibusque emolliri convenit; atque si his non cedant, scarificandi sunt vel cultro prorsus auferendi. Si forte ossa palati, ossa nasi vel alia, jam sunt corrupta & cariosa, item si uvula, glandulae parotides & aliae internae oris partes affectae sunt, nihil aliud agi debet, quam eas collutionibus abstergentibus leniterque exsiccantibus, nec non injectionibus frequenter abluere, intereaque in usu Decoctorum assidue pergere. Et quanquam haec Methodus longe plus temporis & laboris exigat, quam illa, quae Mercurium assumit, tamen ab experientia didici, luem veneream & ulcera inde producta hoc modo prius semper sanata fuisse, quam Elephantiae cura absoluta erat.

§ LXIV. Incidunt interdum, dum Leprae curandae operam damus, inflammatorii morbi & febres putridae. Quod si fiat, curam Leprae interrumpi oportet, & Antiphlogistica aut Antiseptica administrari, usque dum soluta sit Inflammatio, & putridum vel correctum vel expulsum sit. Cavendum autem semper est a fortioribus acidis, quae quippe leprosa Corpora nunquam non male afficiunt. Quod si putridae febres ejus generis sint, quae malignae appellantur, cunctandum non est, sed statim fortiora Antiseptica, imprimisque Peruvianus Cortex ejusque Extractum cum magna diluentis potus copia propinari debent; ne, quod saepe evenit, praecipiti cursu diligentiam nostram praevertant, & specie levis periculi fallentes occasionem succurrendi aegris praeripiant. Est denique generalis Lex & Regula, ut omnes motus febriles, qui vehementia sua terrent, omnesque morbi, qui aliquid discriminis afferunt, a Me-

di-

dico in cura Leprae occupato ſollicite conſiderentur, & relicta ad tempus Lepra, quaſi non adeſſet, ſecundum ſuam ſinguli naturam prudenter tractentur, ne dum longo nec facile interficienti malo mederi ſtudet, ab incidente praecipiti morbo hominem opprimi patiatur.

De Arcana medendi Methodo, quam Liberta quaedam Surinamenſis adhibet.

Lepra in principio levis eſt morbus; hinc plerumque negligitur. Poſtquam vero confirmata eſt Lues & univerſum corpus infecit, ejusque externum habitum deturpavit, tunc Ægri de recuperanda ſalute deſperant, ideoque a cura fere abhorrent, immo niſi divites ſint, ab aliis hominibus & ab ipſis etiam amicis ſuis deſeruntur. Servi, in quos Lepra maxime graſſatur, laboribus adſtringi ſolent, quamdiu vires ſuppetunt; ubi tandem morbus praevalet, ſorti ſuae miſeri relinquuntur. Malunt etenim multi Domini inutiles hos ſervos fame aut voluntaria morte extingui quam ſumtus in eorum curationem impendendos facere. Hi quoque aegri, qui in re lauta ſunt, quanquam ſumptus facere non detrectent, nolunt tamen diuturnae curationi ſe ſubmittere. His de cauſis pauci ſanantur Leproſi.

Mirum igitur non eſt, Æthiopes, qui hac Lue infeſtantur, a Dominis ſuis relictos, ubicunque poſſunt, opem quaerere, ideoque ad aequales ſuos atque ad Libertos, qui Medicinam faciunt, frequenter ſe conferre. Eſt ſcilicet unicuique liberum in illis Coloniis, de quibus nunc ſermo eſt, ut alias Artes, ſic Medicinam exercere. Qua licentia cum multi promiſcue utantur, nullibi fe-

re terrarum plures ſunt nominetenus Medici. Etenim in ſingulis ferme villis & plantariis inveniuntur Æthiopes, ſive Servi, ſive Liberti, qui hoc ſibi nomen vindicant. Hos inter Medicaſtros poſſumus primitivum, ut ſic dicam, medicinae ſtatum contemplari. Explorant enim omne genus herbas, & per experimenta temere inſtituta diſcunt paulatim corporum naturalium tam ſalutiferas quam noxias vires; quas deinde ſuos in uſus nec raro in perniciem Dominorum ſuorum convertunt. Optandum utique eſſet, ut Europaei cognoſcendis horum hominum tentaminibus obſervationibusque operam darent. Sic ſane ſpes eſt fore, ut ſibi ſuisque melius proſpicere posſent. Nam dubium non eſt, quin idonea depellendis multis & rebellibus morbis remedia a coecis illis tentatoribus interdum inveniantur; ſed cum ſoleans ſtudioſe celari, ſimul cum inventoribus pereunt. Celant enim Arcana ſua Liberti, ne lucrum, quod ex iis faciunt, perdant. Serui vero ſua occultant, ne venefici habeantur; ſiquidem in his coloniis opinio invaluit, herbarum ſtudioſos in peſtiferis pariter atque in ſalutaribus rebus operam collocare. Qui igitur genuinas horum hominum obſervationes cognoſcere deſiderat, is aliter plane, quam vulgo fit, cum illis agere debet. Non lubet haec latius exponere, aut in cauſas, propter quas res utiliſſima negligitur, nunc inquirere; ſed uno tantum exemplo oſtendam, quantum ſaepe barbari homines, rudiſſima Empiria ducti, valeant!

Contigit mihi aliquando praeter expectationem in obſcuro Urbis angulo videre viginti & plures Leproſos, quibus Afra quaedam Foemina, Liberta, medebatur. Novitas rei movebat me, ut domum ingreſſus, quid ageret, curioſius inqui-

quirerem. Mirabar & numerum aegrorum, quos unica curabat foemina, & imprimis ipſam medendi methodum, quam ut mihi patefaceret, diu fruſtra laboravi. Victa tandem aeris vi, aperuit mihi, quae habet Arcana. Quoniam autem eo ipſo tempore profectionem meditabar & ad iter me jam parabam, non potui, quae ab ea didiceram propriis periculis confirmare. Interim operae pretium me facturum eſſe poto, ſi Methodum, quam multis in aegris ab ea obſervatam vidi, breviter expoſuero.

Principio igitur omnibus promiſcue aegris Medicamentum propinat fortiter purgans e Gumni Guttae Gamba paratum; idemque bis per ſeptimanam repetit. Deinde cum corpus aliquoties ſtrenue purgatum eſt, decoctum quoddam quotidie potandum exhibet. Parat autem hoc decoctum e ligno & radice fruticis cujusdam, quem *Tondin* appellat; nomine apud ſcriptores Hiſtoriae Naturalis, qeantum quidem ſcio, non occurrente. Folia ejus ſunt Ulmo perſimilia. Lignum & Radix magnam tenacitatem habent. Cortex extus niger eſt, intus ex rubro albicat. Creſcit paſſim in paludibus & uliginoſis locis, quae ſunt circa urbem Paramaribo, in Colonia Surinamenſi ſitam. Odor ligni & radicis reſinoſus eſt; ſapor amarus ſimul & adſtringens. Hujus igitur Ligni & Radicis aliquot ſumit libras, atque in ahenum ferreum cum magna aquae copia immittit. Poſtea aheno rite clauſo per tres circiter horas percoqui ſinit. Hujus decocti libram unam ſingulis aegris ter de die exhibet calidam, mane ſcilicet ante jentaculum, dein circa meridiem, & denique ſub veſperam. Interea jubet aegros corpus movere, & vel ambulando vel operi cuidam incumbendo, ſudorem evocare. Quo facto

totum corpus abluit calido decocto e foliis ejusdem fruticis confecto, mox ſtragulis obvolvit, & per horae circiter ſpatium ſudare cogit. Atque hanc viam & ordinem per aliquot Septimanas religioſe perſequitur. Poſtea adjungit uſum Linimenti cujusdam, quod ſequenti modo praeparare ſolet. In Tractu Surinamenſi frequentiſſima eſt Cuſcutae Species, quae multas arbores & praecipue Aurantias, Citros & Limones mirum in modum infeſtat, obvolvens ſarmentis ſuis, quae valde tenacia ſunt, omnes pedetentim ramos, tandemque univerſam comam quaſi reticulo quodam obtegens. Hanc plantam paraſiticum ad genus Cuſcutae ſcio pertinere, ſed an à noſtrate, & quibus notis diſtet, nondum exploravi. Hujus Cuſcutae magnam copiam Liberta noſtra opportuno tempore colligit, nec tantum ſarmenta ſed etiam flores & fructus ſumit. Haec in magna aquae quantitate infuſa, per tres dies noctesque digerit. Interea materies fermentari quodammodo ſolet, tandemque putridum ſpirat odorem; quem ubi percipit foemina, maceratam herbam ex aqua promit, atque in pila lignea admiſto jugiter Limonum ſucco contundit, usque dum in nigram pulticulam, craſſo atramento ſimilem, fatiſcat. Hoc eſt ejus arcanum Linimentum, quo deinceps quotidie maculas leproſas, nodosque & tubercula Elephantiaca inungit. Quodſi Linimentum calore aëris, ut fieri ſolet, deſiccatum fuerit, addito limonum ſucco diluit. Hac autem inunctione & caeteris, quae antea commemoravi, remediis aſſidue utitur, usque dum maculae reſolutae & cruſtae lapſae ſint. Quo facto ſi novam cutim ſenſu praeditam eſſe obſervat, tum vero aegros perfecte ſanatos pronuntiat atque dimittit. Cura haec trium plerum-

que

que aut quatuor mensium spatio absolvitur; & sane meretur Medicorum attentionem. Vidi certe plures Leprosos hoc modo sanatos, sic ut nullum morbi vestigium in externo Corporis habitu amplius superesset; & quanquam in nonnullis observaverim, maculas crustasque revertisse, ideo tamen huic methodo nihil laudis detractum velim, sed prorsus persuasum habeo, eam praestantissimam tutissimamque fore, dummodo regulae diaeteticae, quas Liberta vel ignorat vel negligit, sic ut par est, observentur. In Linimento nihil est, quod sanam cutem laedat. Saepius hoc expertus sum. Pariterque Decoctum saepius degustavi, nec quidquam praeter facultatem adstringendi animadvertere potui.

Epilogus ad Cives suos Surinamenses.

Quantum ego temporis in curando Medici atque Chirurgi officio insumserim, quantamque assiduitatem in tractandis, qui mihi commissi erant, Ægris adhibuerim, Vos habeo testes, Cives carissimi! quorum humanitate & benevolentia per plures annos frui mihi licuit. Cum tandem senserim, vacatione mihi opus esse, amoenissimam Coloniam vestram ad tempus reliqui, sed nolui tamen committere, ut vel otium meum illiberale, vel meus erga Vos animus mutatus esse videretur. Etenim gratissima mente agnosco, semperque praedicabo Vestra in me promerita. Itaque non tantum Vota pro salute vestra in dies nuncupo, sed etiam vestris commodis nonnihil inserviturus hanc Dissertationem elaboravi. Est enim morbus, quem in ea descripsi, gravis admodum

&

& timendus Vobis Adverſarius, qui cum in ſervitia Veſtra atrociter graſſatur, tum quoque Vobis, Cives optimi! minatur & pene dixerim imminet. Quare cum ejus ſaevitiem & dolos diligenti ac diuturna obſervatione utcunque perſpexerim, meamque medendi methodum multiplici experientia comprobatam viderim, e re Veſtra fore putavi, ut animadverſiones meas in publicum emitterem. Ex quibus ſi quid utilitatis ad Vos redundaverit, erit, quod mihi gratuler. Poſſunt certe illis, qui inter Vos medicinam faciunt, aliquam, ni fallor, lucem accendere, ut cum atrociſſimo iſto hoſte congreſſi facilius victoriam reportent. Poſſunt etiam Vobis ſingulis eatenus prodeſſe, quatenus pravam, quae in Colonia invaluit, opinionem infirmant, morbum non eſſe contagioſum. Sic enim quemlibet excitari & juſto metu compelli velim, ut ſibi diligentius, quam fieri ſolet, caveat; ut ſervos, antequam in domum admittat, curioſius explorari curet; ut principiis mali, ſicubi apparent, ſine mora reſiſtat, nec ſero, id eſt enim ſaepe fruſtra, medelam quaerat. Has autem admonitiones, ut bonam in partem accipiatis, & in uſus Veſtros convertatis, vehementer opto & peto. Faxit Deus O. M. ut Colonia Surinamenſis ab hac peſte liberata magis magisque creſcat & floreat, omnibusque bonis affluens dignitatem ſuam, Moderatorum prudentia & Civium ſedulitate partam, in aevum longiſſimum tueatur! Valete, Cives ſuaviſſimi, mihique favere pergite!

PHI-

PHILIPPI OUSEELII,

Medicinae Doctoris.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-MEDICA

DE

LEPRA CUTIS HEBRAEORUM.

---

§. I. Cum *de lepra cutis Hebraeorum* nonnulla in medium proferre ſit animus, pauca nobis in genere praefari liceat; cum quae ad onomatologian pertinent, tum quae ad rem ipſam delibanda eſſe videntur. Vocem ipſam Latini Graecis acceptam ferunt, *Lepra* enim certum aliquod Scabiei genus denotat Latinis aeque ac Graecis. λέπρα *Scabiei* malae genus eſt, ex eo dicta, quod cutem *ſcabioſam* facit, & in quasdam quaſi ſquamas reſolvit. A λεπὸς vel λεπὶς *ſquama*, vel a λέπω *deſquamo, decortico.* In Gloſſ. Cyr. λέπρα *lepra, Impetigo.* λεπρὸς *Leproſus, depetigoſus.* Gloſſ. Philox. λέπρα λιχὴν *Impetigo.* Hinc & verbum λεπρύνεσθαι, quod duo ſignificare volunt: τραχύνεσθαι & λευκαίνεσθαι. unde & λέπρα ἡ ἐν τοῖς σώμασι παρὰ φύσιν λευκότης Lepra praeternaturalis corporum albedo dicitur. Germani Auſſatz appellant quaſi *extrapoſitionem* quia malo illo affecti extra ſano-

rum

rum hominum societatem ponuntur; vel potius ob ipsam mali ad exteriora Cutis eruptionem. Alias etiam Maltzey vocant, quasi Malatzey/ a Graeco *μαλακία*, unde Gallorum *malade*, & Belgarum *Melaatsheid*, voce generis ad speciem contracta. Idem *Melaats* germanice Maltzey est leprosus. Hebraeis nomine ex sacris litteris petito hic morbus צרעת nuncupatur, & illo affectus צרוע & מצורע *Lepra* unde *leprosus*, ut communi Graecorum Latinorumque Interpretum consensu redditur. Hujus vocis radicem in lingua hebraea non offendimus. Unicum saltem occurit conjugatum צִרְעָה *Exod.* XXIII. 28. *Deut.* VII. 20. *Jos.* XXIV. 12. Nonnullis interpretibus, inter quos & Aben Essra nomen profitetur suum, hoc idem sonare & significare videtur ac צרעת Lepra, aut saltem ut ait: מכה בגוף שתחלש כח הגוף *plagam aliquam in corpore, qua debilitentur vires corporis*; quod secutus *Arabs*, Parisiis editus in utroque legis loco. *Graeci* tamen eosque secutus *Syrus*, nec non *Latinus Vetus*, vertunt *Vespas* vel *crabrones* quibus accedit *Chaldaeus* & hunc secuti doctores Judaei. Ita enim Auctor Libri ערוך ad vocem צרע non solum citat *cod. macschir.* sed etiam *Chal-daeum*, qui verterit ערעית *Crabronem*, voce quae *incurrere* significat שעומדת לקראת אדם ומכה אותו *quia in hominem incurrentes crabrones eum afficiunt* pungendo scilicet suo aculeo. Quid vero vespis di-ces cum Lepra commune est? Nomen sane, quod hoc insecti genus a pungendo accepit levi litterarum transpositione convenit cum רצע quod pungere significat, unde subula, רצוע qua auris servi haebraei perforabatur: *Exod.* XXI. 6. Neque hic significatus pungendi a Lepra adeo alienus esse videtur, cum hic affectus externam corpor-

cu

cutem non minus afficiat. & quasi pungat, ac si aculeo vesparum fuisset laesus. Ingens utique malum *Lepra* est adeo, ut Magistri Judaeorem ad ipsam hanc denominationem respicientes, Lepram appellent צר רעת *Angustia malorum*, cum plurimum Mali afferat homini illa laboranti. Abarbanel notat, צרעת על שם צרת רעת *Lepram vi vocis notare Angustiam malorum*; Huc & pertinet illud, quod בגע plaga audiat. Idque nomen κατ' ἐξοχὴν per eminentiam Leprae detur. Unde integer Thalmudicus Codex בגעים, *de plagis* inscriptus, de sola Lepra agit; quo spectare etiam volunt, illud *Deut.* XVII: 8. *Inter plagam & plagam.* Abarbanel ונקראו אלו החולים נגע מפני שהיה העור נגוע: *Haec autem morborum genera plaga audiunt, quia ipsa cutis est affecta.* Quid quod conjunctim haec phrasis occurrat נגע צרעת *Plaga* sive *affectus Leprae Deut.* XXIV. 8. &c. *Chaldaeus* pro מצורע habet לקי סגירות *Lepra percussus.* Sicque apud Chaldaeos Syrosque Lepra vocatur, ac si *seclusionem* dicas סגר enim est claudere, & Leprosi secundum legem secludendi & removendi erant. In versione *Syriaca* N. T. quae antiquissima esse videtur est גרבא & גרב quod *scabiem* denotat in *Thargum Lev.* XXI. 20. Hebraeum גרב ex mente *Jarchidis* est *Scabies sicca.* Convenit vox Hebraea inverso lecta ordine cum Latinorum Porrigine.

§. II. De *Lepra* cum agamus Hebraeorum, generalis nunc sequatur hujus Mali descriptio, ut quid per *Lepram cutis* in sequentibus intelligendum sit tanto certius constet. In gente Judaica Lepram fuisse familiarem ex sacris constat paginis, quidnam vero mali fuerit hac ratione de-

 cla-

clarabimus. Lepra in genere confiderata, eft affectus praeternaturalis corporum tam inanimatorum, quam humanorum, quo externa & naturalis eorum fuperficies, quacunque ex cauffa, praeprimis refpectu coloris, mutatur illo in lege Mofis definito modo. *Subjectum*, quod Leprae affectus occupat eft corpus tam *inanimatum* quam *humanum*. Ita enim de *Lepra veftium*, de *Lepra aedium*, de *Lepra hominum* legimus *Lev*: XIII. XIV. Et haec prima & maxime notabilis eft hujus Leprae differentia ab omnibus aliis ita dictis Lepris, quae fola humana fibi poftulant corpora, quemadmodum etiam objectum medicinae funt corpora humana, non vero parietes, & fupellectilia. Specialior autem Leprae fedes eft in externâ corporum fuperficie, non quidem quafi folam tantum fuperficiem occupet tanquam affectus aliquis fuperficiarius, nam & altius penetrare folet, ut in parietibus domorum abrafis, & lapidibus remotis videre licet; fed quod illa externa in oculos incurrens fuperficies, certiores reddat, de veritate hujus mali, nulla ratione in dubium vocanda. Potiffimum fignum ejus fuit, *coloris naturalis immutatio praeternaturalis*, color albus in pilis, flavus in veftimentis, viridis vel flavus, cum rubicundo, non quidem arte aliqua facta fed fponte enafcens & propullulans in pariete five afpredo fuperficiei adfuerit five non. His vero diutius infiftere, & accuratius fingula demonftrare, inftituti nec permittit ratio nec paginarum anguftia.

§. III. Quo tamen de toto clarius conftet negotio, Differentes Leprae fpecies enumerare faltem in anteceffum debemus, quo felicius ad ipfam nobis propofitam pertingere liceat metam.

Et

Et primo quidem in duo summa genera dividere omnem possumus de Lepra tractationem, cujus fundamentum a subjectis petimus, circa quae versatur. Alia itaque est, *Lepra rerum inanimatarum*, Alia *rerum animatarum*, sive hominum. Prioris generis, *rerum inanimatarum* Leprae duae potissimum sunt species. Una quae vestes inquinat, altera quae ipsos *aedium* occupat *parietes*. De priori agitur *Lev.* XIII: 47. de posteriori vero *Lev.* XIV: 33. I. Thalmud. Cod. *Negaim* de his inanimatarum speciebus seorsim agit Tractatu *Negaim de plagis dicto Cap.* XI: seq. & *Maim.* de *Impurit Lepr. cap.* XI. *seq.* Verum de his hic non est agendi locus. Alterum Leprae genus est, quod *Corpora* Hebraeorum afficit estque itidem duplex i. *Capitis Lepra*, quae & *Barbae* ipsiusque *Calvitii* plagam complectitur, de quibus Moses *Lev.* XIII. Thalmudistae *l.* 1. *cap.* X. *Maim. l.* 1. *cap.* VIII videri poterunt. Secunda hujus species est *Lepra illa cutis*, quatenus in gente Judaica antiquitus obtinuit, quam hac occasione examini subjicere volui, cum integra *de Lepra* Tractatio angustis uniusque Disputationis limitibus absolvi vix possit, & haec ultima sufficiens sit cui operam impendamus nostram, ut quantum licet ex ipsis Hebraeorum fontibus, de hoc Hebraeis quondam familiari morbo, quaedam proferamus in medium.

§. IV. Primus & praecipuus qui de Lepra Hebraeorum meminit auctor est divus ille Moses, summus illius gentis dux & legislator, qui *Historiarum Libr.* III. *Cap.* XIII. pluribus hac de re agit, cujus vestigia prementes, quae ex Judaeorum commentariis vel scriptis melioris notae & majoris auctoritatis, ad declarationem sensus fa-

cere videntur proferre, & salvo meliora docentium judicio, examini subjicere placuit. Hac nobis ipsis indicta lege, modeste & ordine quantum fieri poterit sequenti observato susceptum enarrare Thema. *Primo* omnes hujus Leprae Cutis *species* proponemus; *Dein signa* & rationem ejus contemplabimur; *Tum caussas* inquirere conabimur, *Denique adjuncta*, quae maxime ad prognosin Medicorum facere videbuntur subjungemus, atque ita potissima rerum capita nos persequi posse confidimus.

§. V. A' definitione hujus affectus, quae *Lepra cutis* dicitur nobis ordiendum esset; Sed quo perfectiori modo, & majori argumentorum pondere illam probatam dare valeamus, ubi singulas ejus viderimus species & signa, non aegre feret Lector spero, si ad hunc locum eam ablegemus. Nunc de differentibus ejus *speciebus*, & quae his omnibus vel singulis competunt prius acturi. Divídimus autem *Lepram cutis Hebraeorum* ratione extensionis in *universalem* & *particularem*. *Universalis* est, quae totam fere cutis superficiem possidet, a' capite ad calcem, ita ut nihil fere sani in toto corpore externo appareat. *Particularis* vero est quae unum vel plura humani corporis membra occupat. Et haec quidem *particularis Lepra* varia rerum admittit differentias. Alia enim in genere, quamcunque cutis partem tenet; Alia autem non nisi certam & determinatam sibi vendicat. Prior omnem respicit partem, caeteroquin sanam, posterior autem non nisi Cicatrice ulcere vel adustione deformatam. Nec dissentiunt hic Judaei, cujuscunque sectae. Ita Auctor quidem Karaeus *Elias Bischitzi* dictus in Libro quem suo Nomine inscripsit אדרת אליהו *Pallium Eliae*

(quae

(quem Librum Conſtantinopoli impreſſum Bibliotheca Lugdunenſis Academiae poſſidet, licet viri doctiſſimi illum ἀνέκδοτον eſſe ſibi aliisque perſuadere conati ſint). Omnes in Lege memoratas Leprae ſpecies quae homines attinent, numero comprehendit ſeptenario hoc ordine & his verbis: שאת ספחת בהרת שעל עור ובשר שאת ובהרת של מכוה שאת ובהרת של שחין נתק של הראש והזקן שאת של קרחת וגבחת: h. e. *Tumor, Abſceſſus, Macula in cute vel carne; Tumor & macula in aduſtione, Tumor vel Macula in ulcere; Porrigo capitis & Barbae; Tumor calvitiei & recalvationis.* Tres priores ſpecies, proprie ad praeſens noſtrum faciunt inſtitutum, & eandem referunt ſententiam. Ex Thalmudiſtarum ſchola eſt R. *Iſaak Karo* in ſuo תלדות יצחק Hiſtoria Iſaaci, in ſcripto Opere, *Sex*, inquit, *Leprae dantur ſpecies: In carne cutis, ulcere & aduſtione, plaga capitis, Barbae, & Defluxus pilorum.* Aliam quoque Judaeorum Magiſtri Leprae obſervant differentiam, qua non tam ipſum locum affectum, quam ipſum mali reſpiciunt ſtatum & conditionem, & in ſingulis fere memoratis ſpeciebus vel in totum vel ex parte conveniunt. In genere legimus, *Cod.* Schebuoth. De *Juramentis c.* I. §. 1. מראות נגעים שנים שהן ארבע *Duo dantur plagarum Genera quae in quatuor diſpeſci poſſunt ſpecies.* Hoc repetunt quoque & ſpecialius declarant initio *codicis de Plaga c.* 1. מראות נגעים שנים שהן ארבע בהרת עזה כשלג שניה לה כסיד ההיכל והשאת כצמר לבן שנית לה כקרום ביצה: *Duo dantur plagarum Genera, quae in quatuor dividuntur ſpecies. Macula intenſe alba ut nix, cujus ſecunda ſpecies eſt inſtar gypſi palatii, dein Tumor ille Lanae albiſſimae ſimilis, cujus ſecundaria ſpecies eſt inſtar pelliculae ovorum.* Singulas

hasce Leprae species ordine videbimus prout a Mose describuntur, cum in antecessum pauca de loco affecto in genere quoque fuerint observata.

§. VI. Non arbitror fore ullos, qui hoc genus Leprae de quo in praesenti dissertatione agimus, in gente Judaica unquam extitisse in dubium vocare velint, nisi omnem simul fidem Hebraeorum aeque sacris & profanis denegent historicis; neque si qui tales sint morari nos debent, quin potius de re ipsa certi, *in modum & rationem* ejus inquirimus. Primum quod itaque nobis sese offert, est ipse locus affectus. Diximius jam §. II. Lepram externam corporum tangere superficiem, cujus dicti memores nulla operosa indigebit probatione, Lepram cutis externam corporis humani respicere superficiem. Saepius enim inculcatum legimus toto illo XIII. *Levit.* נגע בעור בשרו *Plaga in cute carnis ejus vs.* 3. *vs.* 5. 6. *&c.* Plagam in homine adeoque in cute & carne humana describit Moses priori hujus Capitis parte. Cutem & carnem esse partes quibus corpus humanum constat, certum est, & per carnem quidem omnem illam molliorem & musculosam intelligimus substantiam qua Ossa, Arteriae, venaeque reconduntur, quas partes divinus ille humani corporis artifex ab omni defendere aëris caeterorumque corporum injuriis volens, variis tegumentis, inter quae cutis cum sua cuticula eminet, munire instituit. Quem animantibus usum praestant pelles, volucribus pennae, squamae piscibus, eundem & longe praestantiorem habet ipsa Cutis. Magnus ille veteris aevi philosophus, Jobum indigito; inter miranda Dei Opera in formatione hominis gravissimis sententiis cutem &

car-

carnem commemorat: עור ובשר תלבישני ובעצמות וגידים תשככני *Cute & carne induisti me, & ossibus atque nervis compegisti me* c. X. vs. 11. Artificiosam carnis substantiam ex infinitis vasis constantem quam fibrae undique cingunt, tendines firmant, cuique nervi intertexti aeque ac sanguiferi illi venarum arteriarumque canales, robur & firmitatem conciliant, nunc accuratius & fusius persequi non licet, neque quisquam expectabit, ampliorem cutis descriptionem, quam anatomiae & medicinae principes summa cura, opera studio atque labore instituerunt. Scopo nostro satisfacere posse existimamus, si hic notemus, illud corporis nostri mirabile Tegumentum intelligi, quod variis constat laminis, cui ab interiori parte adeps adhaeret, in cujus medio cribrosum vel reticulare illud opus in quo Glandularum & excretoriorum vasorum extremitates deprehenduntur, una alterave membrana perforatis poris, ad insensibilem transpiratum promovendum reperitur, cui denique Epidermis sive cuticula superimponitur, infinitis miminisque squamis constans, arctiori vinculo inter se invicem junctis ut externam illam constituant cutis nostrae superficiem.

§. VII. Vitia cutis, in quibus potissimum Lepra fuit observata, sacer describit Historicus, v. 2. אדם כי יהיהבעור בשרו שאת או ספחת או בהרת והיה בעור בשרו לנגע צרעת quae verba J. Tr. vertunt: *Homo cum fuerit in cute carnis ejus tumor aut abscessus aut papula, quorum aliquid erit in cute carnis ejus vergens ad plagam.* Tria hic occurrunt nomina, quibus haec vitia, quae ad lepram vergunt, denotantur. Generalis quippe haec est descriptio omnes sub se comprehendens species, quam etiam in sequentibus pluribus exe-

exequitur, & signis suis diacriticis determinat. Ordine videamus singula: Primum nomen est שאת. *Tumor* LXX. habent οὐλή. Luth. so etwas auffähret. Belg. *Geswel.* Satis sibi constant Judaei in significatione hujus vocis eruenda. Karaeus *Elias* in suo de *Pallio Eliae* Tractatu supra citato ait: שאת טעמו הוא *Vocabulum* שאת *protuberantiam denotare.* Imo mox explicationis ergo vocat נשיא מן העור מענין נשי אח: *Tumorem qui prae cuti protuberet.* Optime huic Karaeo cum Traditionum convenit magistris, ut traditur in *Jalkuth. n.* 551. שאת אין שאת אלא גביה וכ"הא על ההרים הרמים ועל הגבעות הנשאות Vocabulum שאת: *Tumor altitudinem aliquam denotat secundum illud Es.* 2. 14. Et contra omnes montes celsissimos & omnes colles altissimos. *Abarbanel* rejecta sententia Aben Esrae ita concludit: היותר נכון הוא שמלת שאת תורה על יתרון בשר או ליחה הנולד בעור האדם שלא כמנהג הטבעי והוא מלשון יתר שאת: h. e. *Rectius multo vocabulum* שאת *abundantiam denotat carnis vel humoris in cute humana praeter naturaliter enatam, quemadmodum haec vox sumitur Gen.* XLIX. 3. יתר שאת *Excellentia abundantiae dignitatis.* Refertur quippe haec vox ad radicem נשא, quae *ferre*, *tollere*, *attollere* significat, adeoque suae originis ratione aliquid elatum denotat, & in his circumstantiis *Tumorem*, *Tuberculum*, *Pustulam* aut *protuberantiam* quamlibet, in cutis summitate observandam, ex quacunque caussa & quomodocunque contingat. Cutim enim posse extolli, si major, ut *Abarbanel* notat, collectio liquidi intra vasa fiat, vel aliquid succrescat, ipse rerum docuit usus & ratio: hac ratione autem de naturali suo statu decedit longius, quanto tumescentia illa est major vel difficilior, unde

unde Tumores quandoque dicuntur scyrrhi, & in Sphacilum transeunt. Cujus generis Tumorem vel Tuberculum intelligere debeamus, ex sequentibus demum constare poterit, nobis in praesenti sufficit, si probe teneamus, quamvis protuberantiam, quae fit in cute carnis salva tamen ejus superficie, quae in ulceribus rumpitur, heic loci indigitari. Et haec *Species Leprae* cui *Tumor* accidit, *protuberans* sive *aspera* dici poterit: & licet primo memoretur, posteriorem tamen locum obtinet inter Leprae species, uti ex Thalmude §. V. vidimus.

§. VIII. Alterum nomen est ספחת quod toto hoc capite non nisi *v.* 2. occurrit. Conjugatum ejus מספחת aliquoties invenitur. Interpretes varie vertunt: vulgo *scabiem*, quem Lutherus sequitur: Schabicht/ grind/ gnätze LXX. habent Σημασία. Belgae: Gesweer, Versweering. Junius & Tr. *Abscessum*. Buxtorfius & Coccejus in Lexicis *Scabiem* vertunt. Vocis origo facile patet, agnoscit enim radicem ספח, quod verbum *adjungere assumere* significat. 1 *Sam.* XI. 36. *Es.* XIV. 1. hinc vox ספיח *Es.* XXXVII. 30 *Accessorium*, quod sponte ex terra enascitur segetique accedit. Huc refert *Elias Bischitzi* ספחת מספחת מטעם את ספיח קצירך וטעם שהיא צרעת יוצא מן העור מפנים ונשא אל בגלהו: Hoc est: מספחת & ספחת eo veniunt sensu quo *Lev.* 25. 5. ספיח קצירך *Accessorium vel sponte enatum messis tuae; hanc ob rationem quia haec Leprae species intra cutem collecta palam sponte prorumpit.* Propius ad veritatem accedunt illi Judaeorum magistri, quos longa serie enumerare nil attinet, quorum sensum optime assecutus clarissime explicuit R. *Salomo Ben Me-*

 lech

lech in מכלל יופי ad hunc locum : מה לשון ספחת טפילה שנ"ספחני נא אל אחד כהונות לאכל פת לחם ובשורש ספח פירש ואפשר כי היא החזית הנאספת והמקובצת יחד מענין ונספחו על בית יעקב שהוא ענין הקבוע והדבוק ואסיפת דבר אל דבר ורז"ל פירשו כי לפיכך נקראת ספחת לפי שהיא טפלה לבהרת שניהלה בלובן מלשון ספחני וגו׳ Id eſt : *Vox* ספחת *ſignificat acceſſorium aliquod, ut ſumitur* 1 *Sam.* II. 36. *Aſſume me quaeſo &c. Ad radicem* ספח *notatur: forte Impetiginis eſſe ſpeciem, quae colligitur & aggregatur una. Significatione deſumta ex illo Eſ.* XIII. 3. *& aſſociabunt ſe Domui Jacob: ubi notatur congregatio, adhaeſio, collectiove unius ad aliud; Magiſtri quoque noſtri f. m. ita exponunt : Hunc vocari affectum* ספחת *quia ad maculam eſt adjunctum aliquod, ipſi ſcilicet in albedine ſecundum ſenſu vocis ex* 1 *Sam.* II. 36. *deſumto.* Id nempe ſibi volunt Judaeorum Doctores, hoc nomine non aliquid diverſi *ſed ſubordinati* ſaltem indigitari atque *acceſſorii*, ad vitium illud principale quod *Tumor* dicitur, & hoc reſpectu non inconcinno per *Abſceſſum* forte verti poſſet. Quandoquidem autem hoc nomen medium locum occupat inter Tumorem & Maculam, ideo non tantum de priori ſed & de poſteriori aliquid participat, & ut Thalmudici loquuntur eſt שנית *ſecundarium* aliquid in tumorum & macularum genere. Vitium ſcilicet quod incipientem ſtagnationem humorum indicat, antequam ad illam perfectionem ſeu quantitatis, ſeu potius qualitatis quae hic magis attendenda venit, ſit perductum. Adeo, ut licet tria memorentur vitiorum cutis nomina, hoc intermedium tamen ad utrumque ex aequo pertineat, & tanquam *adjun-*

ctum

ctum aliquod *seu accessorium* consideretur, cui *Abscessus* nomen, donec commodius occurrat, distinctionis gratia imponemus. Sequitur hac in parte *Eliam Mizrachi*, qui pag. 187. 1. sic loquitur הכתוב מונה אותן שלשה הוא משום דספחת לאו שם נגע אלא שם חבור כמו ספחני נא אל וגו כמו אמר שאת ומחובר לה בהרת ומחובר לה Hoc est; *Tria in scripturis nominantur nomina, licet vox* ספחת *non tam sit nomen affectus quam symptomatis ejus, ut docet locus ille* 1 *Samuel* II. 36. *Assume me quaeso &c. &c. ac si diceretur; Tumor cum suo symptomate, Macula cum symptomate suo.* Gradu scilicet haec tantum differunt, symptoma nempe illud, *minor tumoris & maculae gradus est.* Nec abludit ab hac sententia Auctor, מקור החיים qui hoc modo definit: ספחת הוא חולי שיתחבר אל מקום אחד *Abscessus est morbus in unum locum collectus*, quod Graeci ἀπόστημα, Latini *Abscessum* vocant.

§. IX. Tertium nomen quod in hoc negotio occurrit, est בהרת LXX. habent αὔγασμα, τηλαύγασμα, αὐγάζον, Vulg. *lucens candor.* Jun. Tr. *Papula.* Lutherus Eyterweiss Belg. *Blaaren.* Judaeus Germ. Flecken., Hoc vocabulum aeque ac praecedens, extra hunc locum, ubi de Lepra agitur in Scriptura Sacra non occurrit. De Etymo interim inter Judaeos aliosque interpretes satis constat; convenire quippe putant cum voce בהיר quam legimus *Job* XXXVII. 21. בהיר הוא בשחקים *splendens est in nubibus*, quod de luce praedicatur. Arabibus usitata est radix בהר quae *lucere, splendere* significat. Ejus derivatum est בהיר *Chaldaeis* familiare. Ita apud Judaeos Cabbalistas Librum exstare novimus בהיר *Bahir* dictum, quod idem valet ac alio tantummodo vocabulo, alter ille זוהר Zo-

Zohar, quem alius magni nominis *Commentarius Cabbalisticus* gerit. Utrumque *splendorem* αὔγασμα, denotat. Ita quoque hoc cutis vitium à splendore quem emittit praeternaturali בהרת *splendor*, *candor* qualis nivis est, denominatur; ut optime vim vocis expresserint LXX. & hos secutus *Vulgatus*. Qui enim ex junioribus *papulam* vertunt a vi vocis recedunt longius, neque quid *Papula* sit, satis attendere videntur. *Papula enim Pustula* est, at pustulam jam adpellaverat Moses שאת *Tumorem*, quo omnis generis Pustulas & Tubercula comprehendit. Accedit, quod monente *Celso L. V. c.* 28. *Papularum duo sint genera*, *alterum est in qua cutis per minimas pustulas exasperatur & rubet*; *Alterum* Ἀγρίαν *appellant Graeci*, *in qua similiter sed magis cutis exasperatur & rubet.* Huic Leprae speciei candenti & intense albicanti neutra papularum species convenit, & sic non nisi abusive *papula* dicitur *alba*. Si sane Judaeos, quibus hoc, quidquid est vitii melius constare potest, consulamus, illi praeter summum candorem & splendorem in *macula* intelligunt nihil. Ipsum proferamus *Karaeum Eliam*, aliquoties citatum, qui ab ea suspicione coecae obedientiae & amoris nimii erga traditiones Majorum liber, ita scribit: בהרת הוא מטעם בהיר הוא בשחקים והטעם שיראה בעור מקום עבנרועך ומקום בהיר מחבה רקות הליחה המהליאה שתחת העור: id est: בהרת *Macula eo sensu venit*, *quo vox baec occurrit Job* XXXVII. 21. *splendens est in nubibus. Cujus rei ratio baec est*: *quod in cute locus appareat obscuroris coloris*, *& locus intense splendens abscondet tenuissimum liquidum morbificum sub ipsa cute.* Nec abeunt in diversum Thalmudici. Unde etiam Judaeus Germanus, generaliori nomine *Maculas*

Fle-

Flecken vertit. Id quod & faciunt Christiani plurimi; *Munsterus*, *Piscator*, *Tirinus*, *Sa.* Quam versionem & nos retinemus, cum ut in sequentibus patebit, haec macula non fuerit elata; sed potius ejusdem cum reliqua cute superficiei, si non aliquantulum depressior. Proxime huic accedit maculae aliud vitium cutis בוהק dictum, *v.* 28. quod *Vitiliginem* probabiliter credimus albicans quippe & splendens pariter est, non vero adeo intense, ac haec macula, adeo ut a' Leprae immunis sit suspicione.

§. X. Quo ordine jam haec tria nomina in Leprae affectu consideranda veniant certius constabit, cum prius egerimus de Signo Pathognomico, omnibus Leprae cutis speciebus communi à cujus intensiori vel remissiori gradu potior dependet specierum differentia. Deinde aliis huic affectui maxime propriis & specificis signis acturi. Generale Leprae signum omnibus ejus speciebus competens est; *Albedo praeternaturalis* externae superficiei partis affectae. *Macula* etenim expresse appellatur *alba* vs. 4. 24. *Tumor itidem albus* vs. 10. 19. Quid quod de ipsa plaga expresse dicatur; vs. 17. והנה נהפך הנגע ללבן & *ecce, mutata fuerit plaga in albam.* Hinc *Moses Maimonides* nullus dubitavit ab hac albedine definire ipsam Lepram, *de Impur. Lep.* C. I. §. I. צרעת עור הבשר הוא שילבין מקוה מן העור ותהים הלבנונית כק רום ביצה ולמעלה: h. e. *Lepra cutis carnis est, si aliqua pars cutis albuerit albedine pelliculam ovi aut exaequante aut excedente.* Albedinis cum sint species variae, remissiores aliae, aliae intensiores, pro earum ratione ipsa quoque Lepra alia est. *Summus* albedinis *gradus nivi* comparatur & Leprae tribuitur. Sic *manus* Mosis *leprosa erat sicut*

Nix.

Nix. Ex. IV. 6. *Maria* Mofis foror *leprofa* evadebat *ficut Nix. Num.* XII. 10. Inter omnes *Leprae fpecies* haec albedo fumma in בהרת *Macula* reperitur, unde illa Thalmudicis Doctoribus familiaris locutio בהרת כשלג *Macula ut Nix*, item plene בהרת לבנה כשלג *Macula alba ut Nix*. Quod fi in *macula* color remiffior fuerit, qui albedine ad nivem proxime accedat, haec *Macula fecundaria* vel *notha* dici poteft, & hanc fpeciem aequalem volunt effe albedini gypfi templi, & hac duae fpecies Macula cum fuo abfceffu, primarium funt leprae genus. Cui fuccedit alterum quod itidem in *duas* difpefcitur *fpecies*, quarum *una Tumor*, *altera Abfceffus Tumoris* vel Tumor nothus dici poteft. In determinanda harum fpecierum albedine diffenfus eft inter Doctores, ut notatur codice *de Plagis Negaim Cap.* I. §. I. השאת כקרום ביצה שניה לה כצמר לבן דברי ר"מאיר וחכמים אומרים השאת כצמר לבן שניה להכק רום ביצה *Tumor eft inftar pelliculae ovi (albicans) cujus fecundarium vitium eft inftar lanae albae. Haec eft fententia R. Meier. Sapientes vero ftatuunt, tumorem effe inftar lanae puriffimae, fecundarium ejus ut pellicula ovi.* Neque tamen haec diffenfio eft adeo magni momenti, quin facile affenfum affequatur communis fapientum fententia, prae unius alicujus doctoris fingulari opinione. Lana alba hic confideratur tanquam puriffima agniculi unius diei, quae & tenerrima & albicans effe folet כקרום ביצה quid fit non caret ambiguitate, unde pro diverfa acceptione vel R. Meier, vel fapientum fequenda erit fententia. Vertunt nonnulli קרום *per Teftam Ovi*, alii per *membranam* quae albumen ovi intrinfecus obducit, ejusdem cum exteriori tefta fubftantiae, nifi quod albumine

mini sit proprior, neque tantae duritiei; utpote aëri non exposita. Infimus videtur esse albedinis gradus qui in Tumore esse potest, si inter Leprae species sit referendus. *Testa* nimirum *Ovi* superare videtur *lanam purissimam* quae *gypso* est inferior. Quidquid vero sit non infra hanc albedinem subsistit ulla Leprae suspicio, & si Magistris fides habenda, quatuor hae erunt Leprae species, sola intensione albedinis differentes, *Macula* pura, alba ut *Nix*, *Abscessus* ejus, instar *Gypsii albissimi*, *tumor* instar *lanae albicantis*, & *Abscessus* ejus, ad *albedinem pelliculae ovi* accedens. Illud quoque observat *Karaeus Elias*; Mosen in ulteriori explicatione initium sumere a Macula, cui Abscessum subjungit, ultimo de Tumore agere; unde concludit, gradu haec omnia differre, hoc modo: כי הבהרת היא צרעת קלה ותטהר כשלא תפשה והמספחת קשה בטהורתה כי היא יותר ישנה מן הבהרת והשאת היא יותר ישנה מן המספחת כי היא נשאת ועבתו מן רבוי הליחה ועבירה *Macula est Lepra levior, pura enim erit si non diffuderit sese. Abscessus impuritate gravior, magis enim est inveteratum malum Macula. Tumor sive Pustula adhuc magis inveteratum malum est prae abscessu, attollitur enim & intumescit, ob majorem humorum crassiorum copiam.* Quae vero hic de leviori gradu memorat, non contrariantur illis Magistrorum observationibus, quibus *summus* Leprae *gradus* adscribitur *Maculae*. Hoc enim solius albedinis respectu dictum est, ut vel inde argumentum petere liceat, Maculam esse gravissimum malum; quia *si macula reliquis Leprae signis careat*, pro *Abscessu* reputetur *vs.* 6. מספחת היא *Abscessus est. Karaeus* autem de recenti & inveterata

terata agens Lepra, *Maculam recentem* esse judicat, *reliquas* vero *species* magis *inveteratas* esse existimat. Reliqui Traditionum Doctores nec huic contradicunt, sed ipsam Maculam in exemplum semper proferunt, hac cautione, quicquid de hac praedicatur ratione vitii aut impuritatis, illud quoque de caeteris valere Leprae speciebus, quas pro diversa albedinis commixtione alii *Octo*, *sedecim* alii, nonnulli *plures* faciunt, quas hic recensere spatii & temporis angustia interclusi supersedemus.

§. XI. In enumerandis *signis* unde de Lepra fieri debet judicium vidimus *universale: Albedinem nempe naturali majorem*, & haec quoque sola in *Lepra Universali* consideranda venit, ut suo loco patebit. Dantur tamen adhuc alia *signa particularia*, nec sola sufficit albedo, nisi quod aliud accesserit signum, quod dubiam declaret, & praesentem indigitet; cum prius, suspectum de Lepra reddat aegrum, donec eventu aliter sacerdoti ex signis constiterit. In enumerandis his signis Judaei satis sibi constant eaque ad tria revocant capita. Ut sunt *Pilus albus*, *Diffusio & Vivacitas*. Mirum sane videtur, cur unum, & quidem in Macula maxime notabile omiserint *signum*, nisi illud cum pilo albo conjunctum esse, vel sub colore albo comprehendi crediderint. Nobis itaque ipsum Mosen sequentibus, non tria, sed quatuor consideranda erunt signa, & tribus illis memoratis addimus: *Profundiorem plagae aspectum*. Neque tamen Judaei illud omittunt, sed quo jure in numerum signorum non admittant anxius inquirere non lubet. Primum autem huic dabimus locum, quoniam inter prima occurrit, & ne aliorum turbemus

bemus ordinem; De hoc ſigno autem Moſes *Cap.* XIII. 3. :ומראה הנגע עמוק מעור בשרו *Et ſpecies plagae illius profundior fuerit cute carnis ejus*, verſ. 19. autem ait והנה מראה שפל מן העור *quod ecce ſpecies ejus depreſſior ipſa cute.* Differunt hae phraſes, quae rem unam eandemque, vel ſaltem non multo diverſam notare videntur. עמוק *profunda* res dicitur, quae & eandem ſervat ſuperficiem; ut *Aqua* cui tribuitur *Prov.* XVIII. 4. XX. 5. שפל *Humilis depreſſus* vertitur, & opponitur *alto*, ut *Ezech.* XVII. אני יהוה השפלתי עץ גבוה הגבהתי עץ שפל: Me eſſe Dominum *dejicere arborem altam, & exaltare arborem dejectam.* Haec ſi obſervetur hic differentia, tum *Macula*, quae eandem ſervat cum reliqua cute ſuperficiem, ſi fuerit transparens videbitur eſſe profundior. *Tumor* vero, qui antea erat altior, *depreſſior* dici poterit, ſi juſtam non ſervet vel obtineat altitudinem. Vel etiam *depreſſior* forte erit *macula*, quae in juſtum tumorem non aſſurgit. Si verſ. 25. cum 26. hujus capitis XIII. *Lev.* conferamus, promiſcuum horum vocabulorum obſervabimus uſum, qui tamen nil impedit, quo minus diſtinctum modo jam obſervato de eo formemus conceptum. Quod igitur *ad ſpeciem profundiorem* vel *depreſſiorem* attinet, illa de re conſtans Judaeorum eſt obſervatio, non niſi de *apparente depreſſione*, vel *profunditate* interpretandum eſſe. Ita enim *Auctor Libri* מצותגדול Praecept. Aff. 234. rem explicat: לא שהיה ממשו עמוק אלא בראיית עין כמראה חמה שהיא נראית לעין עמוק מן הצל: *Non quaſi re vera ſit profundior, ſed quod talis oculo eſſe videatur, ut ſolis adſpectus oculo profundior eſſe appareat ipſa umbra.* Quo & *Abarbanelis* ſpectat

nota: ומראה הנגע עמוק מעור בשרו כלומר שהוא לבן יותר ממראה העור הטבעי ולזה יראה למביט מרחק שהוא עמוק מן העור כשמש מן הצל: *Et species plagae profundior cute carnis ejus: Hoc est intensiorem esse albedinem, quam naturalis fert cutis; unde e' longinquo contemplanti profundior cute adparet, quemadmodum sol umbra videtur esse profundior.* Haec *species profundior ad signum universale* referenda videtur, si Maim. admittenda sententia; Is enim *de Imp. Lepr.* C. 1. §. 6. ait: כל מראה צרעת עור הבשר אינו קרויה נגע ולא מטמאה עד שיהיה מראה הנגע עמוק מעור הבשר לא עמוק במשחיתו אלא במראה העין כמראה החמה הנראי לעין עמוקה מן הצל: *Omnis Lepra carnis cutis non prius adpellatur plaga, neque impuritati est obnoxia, quam plagae aspectus cute carnis fuerit profundior, non quidem profunditate quae ad tactum, sed quae ad solum visum patet, ut solis adspectus qui oculo videtur umbra esse profundior.* In id convenit inter omnes, *profunditatem* hanc, *coloris* respectu in *Macula* observari. Cujus rei rationem ex natura petunt lucis & umbrae; Lux scilicet profundior videtur, quia plures emittit radios ex pluribus punctis; Umbra vero altior quasi apparet, quia in umbra suffocantur radii luminis magis minusve, unde non ejusdem videtur cum luce esse in eodem corpore plano superficiei. Praeterea notum est, colorem album lumen recipere majus & longius transmittere. Hinc etiam *Karaeus Elias* in *Eliae pallio* hoc notat, quasi Scholasticorum innutritus principiis וכל מראה לבן יראה עליון ונשא מן המראה הנדעך ולבן נקרא הנדעך עמוק id est: *Omnis albedinis species excelsior esse apparet, & elatior prae specie obtusiori, unde & obtusum, profundum adpellatur.*

tur. Hinc autem Judaeis nascitur, difficultas, quomodo fieri possit, ut Macula, praeternaturali albedine praedita, adspectu non sit profundior. Cum in Libro *Siphri* S. *II.* §. 1. de *Lepros.* dicatur
לבנה בהרת אלא לי אין *nullam aliam nisi albam agnosco maculam.* Haec res R. *Sal. Jarchi* adeo torsit, ut fassus sit suam ignorantiam. Huic equidem satisfacere studuit dubio R. *Moses Nachmanides* observans hanc profunditatem aspectus, semper cum pilis albis conjungi, quod quidem verum est; sed huic non acquiescit interpretationi R. *Elias Mizrachi*, ea ratione ductus, quod si in loco affecto plures essent pili nigri, duo vero tantum albi, ex Regula *Machmanidis* sequatur, hic nullam adesse lepram, ob nigros pilos, cum tamen ob duos pilos albos Leprosus declaretur: *Abarbanel* hoc modo argumentatur: אע"פ שתהיה
בהרת לבנה בעור בשרו הנה כיון שעמוק אי
מראהו מן העור כלומר שאינו לבנה יותר משא
העור *Quamvis macula alba in cute fuerit carnis, cum tamen asseritur in Lege speciem illam non esse cute profundiorem, hoc notat albedinem hanc reliquae cutis non excedere multum colorem.* Id scilicet agit, colorem hujus maculae esse remissiorem, nec adeo candidum ut transpareat, vel profundior esse videatur. Quod de depressiori dicitur specie huc poterit referri, vel etiam alia explicatione expediri, prout scilicet aut *maculae* aut *tumori* attribuitur. Hoc unum notandum, de *Tumore* simpliciter considerato non dici, & *species ejus depressior.* Cum tumoris candor multo sit remissior, nec adeo transparens, quin altitudo ejus facillimo negotio possit observari, quod impedit, quominus depressior, vel profundior esse adpareat.

§. XII. *Secundum Signum*, ex quo de Lepra certissime constat, est *Pilus Albus*, sive Pili in albedinem conversi. De hoc signo monet *Moses* vs. 3. ושער בנגע הפך לבן *Si Pilus ille in Plaga mutatus sit in album.* Id quod & saepius inculcat, de singulis vitiorum generibus vs. 10. 20. 25. Pilos in corpore humano diversis in locis, inprimis per universam excrescere cutem varia proportione suoque colore instructos vel αὐτοψία docet. Celeberrimis Anatomicis si fides habenda, non tam inter excrementa corporis, quam inter partes ejus organicas recensendi erunt. Radices enim suas habent inter glandulas certis vesiculis contento bulbo, suntque varii coloris pro amplitudine canalium & constitutione liquidi, quod per illos canales defertur. Pro diversitate quippe sanguinis & humorum, diversi transparebunt colores, qui etiam successu temporis mutationi sunt obnoxii; ita senes canescunt, cum minima vasa constringuntur, partesque extremae fiunt magis *rigidae*. In variis gentibus, *pilorum quoque* diversitatem notant Auctores: hinc Gallia comata dicta Romanis. Germanis antiquis temporibus crines flavi fulvo auro similes, familiares. Aethiopes crispatis crinibus lanuginosis nigris gaudent. Judaeis in hunc usque diem crines pilique nascuntur utplurimum nigri aut rufi; Et hos colores eorum magistri tanquam ordinarios ponunt. In affectu quoque Leprae, *Pilorum* habenda est ratio, eorumque *mutatio*, inter praecipua impuritatis signa reputatur. Non autem vaga vel incerta illa mutatio, sed determinate *Album* esse pilum oportet, quia *Macula* vel *Tumore*, horumque *Abscessibus* hanc subierit mutationem, adeo, ut praecessisse debuerit vitium cutis, cumque pili in cu-

r.

radices agant, si scilicet laudabilis nullus affluat humor, vel ipsorum radices aut canaliculi vitium patiantur, constringantur, vel alio modo laborent, naturalem suum amittere debent colorem, qui hoc in Leprae affectu erit albus, ad canitiem accedens, antequam annis graves, homines communem Naturae legem sequantur. Jam vero Hebraeorum consulendi sunt Doctores Legisque periti, qui hanc *Pilorum mutationem*, certissimum afferunt Leprae Signum, cuicunque demum speciei acciderit. *Maimonides* prodeat qui Tractatu de *Leprae Immund. C. II. §. 3.* scribit: לובן השערות מטמא בכל מראה בין שהיו לבנות כשלג בין שהיו לבנות לובן כיהה ביותר הואיל ומראיהן לבן טמא: Id est: *Pilorum albedo polluit, quocunque sese habuerit modo: sive albi ut nix sint, sive remissiori gaudeant albedinis specie, imo cujuscunque demum fuerint albedinis, Impuritatis signum sunt.* Reliquas de Pilorum *numero*, *magnitudine*, *qualitatibusque*, Magistorum observationes simul complectitur idem laudatus *Auctor*, loco citato initio illius capitis: שיעור לבן שהוא סימן טומאה בצרעת אין פחות משתי שערות וכמה יהיה אורכן כדי שיהיו נטלות בזוג היתה אחת ארוכה ואחת קצרה משיעור זה או אחת שחורה ואחת לבנה או אחת מלמטה ונחלקה מלמעלה ונראית כשתים או שהיה עקרן משחיר וראשם מלבין הרי זה טהור: Hoc est: *In Lepra ad minimum duo sint pili oportet, illius longitudinis, ut conjunctim praebendere illos liceat. Si alter sit longior, alter vero brevior justo, aut si unus niger, albus vero alter; aut si inferne tantum unus, superne in duos dividatur, ut duo esse videantur; aut si circa radicem nigri, summitatibus tamen albi fuerint: Ejusmodi homo a' Lepra purus est.*

§. XIII. Succedit *Tertium* Leprae *Signum*, nem-

nempe *Diffusio*. De qua Legislator *vs.* 8. והנה פשתה המספחת בעור וטמאו הכהן צרעת הוא: *Ecce diffudit se Abscessus ille in cute ejus, tum impurum pronunciabit eum Sacerdos, Lepra est.* Repetitur hoc *vs.* 22. 37. ubi de *ulceris & adustionis speciebus* agitur. *Diffusio* dicitur, cum malum, quod certam antea quantitatem habuit, successu temporis fit majus, vicinas partes corripit, atque vel citius vel tardius serpit. Hoc fit, dum sensim plura ac plura obstruuntur vasa, dum materia morbifica se extendit, alias etiam inficiens partes, ut in Gangraena & aliis morbis fieri observamus. Serpit itaque malum vel inferiora rodendo, vel ad latera se extendendo vel denique utroque modo. In Leprae speciebus utroque modo fieri non videtur negandum. Si scilicet ad materiae acredinem attendamus, quae saepe partes vicinas invenire potest minus solidas, vel alio modo huic diffusioni aptas, ut in ulceribus sinuosis vel sordidis videmus, nec non in adustionibus non rite tractatis. Illud interim hic notandum; Judaeos in diffusione Leprae non attendisse nisi ad solam *diffusionem ad Latera*, quin ipsum hoc vitium externum potissimum cutem occupat, & quia in Lege expresse additur: & *videbit Sacerdos.* Omnis enim mutatio, quae in hoc affectu Leprae accidisse poterat, in sensus, maxime in oculos Sacerdotis incurrere necesse fuit, hinc de diffusione Illud observatur, eam Leprosum facere חוץ לנגע *si extra Lepram fuerit*; hoc est, si in illo loco observata sit, qu[ae] antea ad ipsam non pertinuit plagam. Hoc enim tale signum est, quod non nisi partes vicinas occupat, nec nisi successu temporis crescit. Unde uno alterove septiduo elapso homo de Lepra su[s-]

spectu

ſpectus ſecludi debuit, ſi forte, aliud interea oriretur Impuritatis Signum, caneſcentium pilorum, aut ulterius ſerpentis mali. Caeterum juſtam *Leprae* definiunt Judaeorum Magiſtri *quantitatem*, qua apparente aeger de Lepra ſuſpectus erat, quaque dilatata, poſt primum ſecluſionis ſeptiduum de hoc affectu plane conſtaret. Minimam nempe quantitatem fabae magnitudinem aequare volunt, ita, ut undiquaque plaga habere debuerit latitudinem & longitudinem tantam, ut *ſex pilos* caperet, quorum numerus quadratus, utpote in loco quadrato ſuperficie nempe ad 36. pilos aſſurgit; non quaſi totidem praeciſe requirerentur pili, ſed ad determinandum ſpatii tantundem, quantum totidem pili effloreſcentes occupare ſolent. Hoc ſibi vult *Maim. de Imp. Leprae c.* I. §. 7. notans: שיעור כל נגעי צרעת בין צרעת האדם בין צרעת בגדים כגריס הקלקי שהוא מרובע והוא מקום מרובע מעור הבשר כדי צמיחת ל"ו שערות שש שערות אורך ושש שערות רוחב וכל פחות מזה אינה נגע צרעת: id eſt: *Juſta Plagarum Leprae quantitatas ſive humanum occupet corpus, ſive veſtes inficiat, menſuram habet quadratam fabae Ciliciae; quae in cute carnis quadratum occupat ſpatium, quod 36. capiat pilos, ſex in longitudine totidemque in latitudine, quantumcumque vero ex his deſit, plaga Leprae non habetur*; Et in hac definienda *quantitate*, adeo certi ſunt Judaei, ut *Maimonides* aſſerat: Ita Majores a' Moſe in monte Sinaï edoctos accepiſſe. Eadem habentur in Thalmudico, *Codice de Lepra Negaim* dicto *Cap.* VI. I. גופה של בהרת כגריס הקלקי מרובע מקום הגריס ט ערשות מקום ערשה ארבע שערות נמצא ל"ו שערות: *Macula magnitudine aequat fabam Ciliciam quadratam, faba Cilicia novem*

len-

lentes, lens vero quatuor pilorum ſpatium occupat, ſumma erit 36. pilorum. Intelligunt autem Judaei quantitatem non continuam ſolam, ſed & diſcretam, cum ſingulas ſpecies *maculae & Tumoris* inter ſe commiſceri ſtatuant, ut ſimul ſumtae, dictam efficiant quantitatem. Ab hoc termino diffuſio pendet, quae terminum ad quem totum agnoſcit corpus, omniaque membra, quam late patet cutis integumentum ut in Lepra univerſali videbimus. Ad hanc diffuſionem omnis referenda *mutatio externae ſpeciei*, cui hoc malum eſt obnoxium; ſive contrahatur, ſive extendatur, modo juſtam retineat *quantitatem quadratam* in priore loco affecto; alias pro *dubia habendam* volunt, quae caeterum quavis quantitate ſerpat, certam declaret Leprae plagam.

§. XIV. *Quartum* Leprae *Signum*, quod apud Moſen ocurrit eſt *vivacitas* מחיה Hebraeis dicitur, phraſi integra מחית בשר חי *Vivacitas carnis vivae.* Haec habet Sacer Scriptor *Lev.* XIII. 10. 11. והנה שאת לבנה בעור והיא הפכה שער לבן ומחית בשר חי בשאת צרעת נושנת היא בעור בשרו: *Ecce tumor albus eſt in cute & ipſa mutavit pilum in album; etiamſi aliqua ſanitas carnis vivae ſit in tumore illo Lepra inveterata eſt in cute carnis ejus.* Ita J. Tr. vertunt, hos ſequuntur Belgae. Lutherus pro *carne viva* ſemper habet Roh Fleiſch, *Caro Cruda*, LXX. *ὁ χρῶς ὑγιὴς, caro ſana.* Vox חי, *vitam & vivum* denotat. De uſu hujus vocis *Maimonides, more Nebochim* §. I. *c.* XLII. *p. m.* 60 ſequentia habet: *Nomen* חי *competit primo vegetabili & ſenſitivo ut Gen.* IX. 3. *Omne reptile quod eſt vivens. Dein ſignificat. idem quod ſanari & convaleſcere a' gravi aliquo morbo.* ut Jeſ. XXXVIII. 9 ויחי *Et vixit, convaluit* ab aegritudine ſua. *Item Joſ.* IX. 8. *Manſerunt in caſtris* עדחיותם *donec con*

va

valuissent. sic *Lev.* XIII. 16. *Caro viva*, id est *sanata*. Nec abluduut ab hac interpretatione Judaei; R. *Samuel Kazis* in Libro מקור חיים inscripto בשר חי הוא הבשר המרגיש: *Caro viva*, inquit, est *caro sensu praedita*; Item ait ומחית פירוש בשר חי והנה הבשר שלא ירגיש הוא בשר המת: Id est: *Et sanitas; hoc interpretatur caro viva, caro etenim omni privata sensu est caro mortua.* Auctor מכלל יופי *R. Salomo*, Veterum Interpretationum collector scribit, מחית פירוש בריאות הבשר החי *Vivacitas; interpretatur sanitas carnis vivae.* In eo convenire videntur Interpretes, tam Judaei quam Christiani, per *carnem vivam* intelligendam esse carnem sensu & vitalitate praeditam. Quomodo autem hoc Leprae nota esse possit, non aeque facile patet. *Caro viva*, appellari posset, *caro luxurians* vel *sylvestris* dicta qualem in ulceribus, vulneribusve non rite tractatis succrescere videmus. Huc forte respexit Lutherus vetendo Roh Fleisch Caro cruda, alias Wild Fleisch. Ast minus convenire videtur, quia haec caro non fuit in ulcere observata, ut Lutherus accipere videtur, vertendo שאת Geschwür, sed in solo tumore, salva & illaesa cute occurrit. Omnis enim *Lepra in carne cutis*, sive *recens*, *sive inveterata* fuerit, superficiem cutis non interrumpebat, nec findebat, sed solummodo attollebat, vel etiam solum externum mutabat colorem. Praeterea hoc quoque notandum, quod Pilus albus, & sanitas carnis vivae simul conjungantur simplici *conjunctiva copula*, qnam J. Tr. minus clare per *Etiamsi* vertunt, cum simplex *Et* sufficiat. Duo *haec signa* scilicet, simul adfuisse videntur in hoc Tumoris genere, quod *Lepra inveterata* nuncupatur, Quae deno-

minatio docet, jam diu mali hujus latuisse fomitem, antequam in nervum erumperet: Ubi autem tandem enato Tumore albo, pili apparuerint *ejusdem coloris*, simul etiam *carnem adfuisse vivam*: id est, *sanam*, sensu *praeditam*; cum pars Lepra affecta, tanquam mortua haberetur. Vi vocis itaque inhaerentes, pluriumque Gravissimorum Interpretum vestigia legentes, per *Vivacitatem* intelligimus portionem aliquam cutis, quae nondum suam perdidit vitam, vel si perdiderit quondam, eam denuo fuerit adepta. Quid vero illud vitii objiciet aliquis? Huic respondemus non vocari hoc vitium sed *signum* tantum, unde de *inveterata* constare possit *Lepra*, cui hoc peculiare sit, quod circumquaque partibus corruptis, aliqua tamen portio maneat illaesa. Idem in ulceribus sinuosis quotidie fieri observamus, ut circumjacentibus intermediae partes non corripiebantur. Ita in curandis sinubus summa cura cavendum est, ut aequaliter ubique coëat sinus. Imo caro illa sylvestris quid aliud est, quam *caro viva*? nisi enim viveret, non cresceret. Porro quis summo rerum arbitro dicam scribere ausit, eum minus accurate fuisse locutum, vel illud pro signo impuritatis ab eo habitum, quod puritatis physicae nomen mereri videatur? His itaque missis, Judaeos consulamus, qui hujus *vivacitatis quantitatem* minimam definiunt esse *Lentis magnitudinem*, cum ipsa plaga ad minimum habere debuerit fabae magnitudinem. *Situm* quoque volunt esse in ipsa plaga talem, ut eam ad minimum duobus pilis excedat undique. Ne plurimis Auctoribus allegandis Lectori creëmus taedium, iterato audiamus *Maim. de Lepr. Imp. c.* III.

§. 6.

§. 6. בהרת יתירה מכגריס ובה מחיה יתרה מכעדשה ורבו או שנתמעטו טמא ובלבד שלא יתמעט בהרת מכגריס ולא תתמעט המחיה מכעדשה ולא תקרב המחיה לסוף הבהרת בפחות מכדי צמיחת שתי שערות כמו שבארנו: *Si Macula faba major, in qua vivacitas lente major, creverit vel imminuta fuerit, impurus est, modo macula infra fabae non subsederit quantitatem, neque vivacitas, lente minor fuerit, neque vivacitas ad extremum accesserit maculae, propius duobus pilis, uti explicuimus.* Et hoc quidem *signum vivacitatis*, solum hoc *genus Leprae* respicere videtur, quod *inveteratum* dicitur. Non enim nisi hoc in casu numeratur, & in illo qui hunc proxime excipit, in Lepra scilicet universali. Unde itidem receptam tuendi sententiam, desumi potest argumentum. Antequam hanc de signis Leprae concludamus tractationem, illud in genere notandum, non omnia semper & simul adfuisse signa, sed praeter *Albedinem*, quae tam *maculis* quam *tumoribus* est communis nota, unum vel alterum illorum suffecisse v. gr. *Pilus in album mutatus*, cum *profundiori aspectu* in Maculis: Idemque *Pilus albus factus* cum *Vivacitate in tumoribus*; & haec quidem signa semper de Lepra reddunt certiorem, quocunque tempore adparuerint. *Diffusio* autem sola cum *Albedine* adesse poterat, nunquam tamen nisi finito primo secundove valebat septiduo. Et cum reliqua signa in Lepra occurrentia, semper cum Impuritate legali fuerint conjuncta, illud tamen *Diffusionis signum* licet Leprae naturam non immutaret, ab immunditia tamen reddebat immunem, si universalis evasisset; sin vero particularis fuisset, aequali jure utebantur.

§. XV. Huc usque de illis Leprae *Speciebus* actum

actum est, quae *quamlibet membrorum & cutis partem occupant.* Ordo jam tangit illas, *quae non nisi certum & determinatum sibi vendicant locum*; quas in duas dispescere possumus classes. Alia *Lepra* in partibus *ulcere* quondam foedatis observata fuit; Alia, membra spectat *adustione* corrupta vel *cicatrice deturpata.* Plurima hae Leprae species, cum prioribus memoratis habent communia; & *macula* & *Tumor* sive pustulae hic occurrunt, quae iisdem Leprositatis signis gaudent quae hic repetere supersedemus, illa saltem notantes, quae his speciebus peculiaria & priva quae ad duo summa capita in qualibet classe referri poterunt. Quae nempe vel *semper* vel *aliquando* adsunt. Quae his Leprae speciebus *semper* adsunt, & in specie competunt sunt *Locus Ulceris* vel *Adustionis* nota insignis. Quae aliquando in hisce observantur sunt *Leprae albae subrubidae*, s. mixtae. Quod ad primum attinet *Locus est ulceris* vel *adustionis nota insignis.* Quae aliquando in hisce observatur, de quibus vs. 18-23. vs. 24-28. De priori ita Moses vs. 18, 19. ובשר כי יהיה בו בעורו שחין ונרפא והיה במקם השחין שאת לבנה או בהרת לבנה אדמדמת ונראה אל הכהן: *Item caro cum fuerit in ea ulcus, si sanata est, deinde oboritur in loco ipsius ulceris tumor albus, aut papula alba subrubida, tum ostendetur sacerdoti* שחין ulcus est ex inflammatione ortum, externa in corporis cute LXX. ἕλκος unde Latinis *ulcus* dicitur, Belgae *Gesweer*, Lutherus Drüse Pustulae cum שאת mutato nomine. Quando Phlegmone non solvitur insensibiliter, tum superatur, & in ulcus transit, quod est solutio continui cum pure a' causa erodenti facta. Suppuratione facta, si externa cutis fuerit affecta illa apperienda & pus educendum

est,

eſt, & tunc adparet ſinus, quo repleto, cicatriceque obducto, ſanatum erit ulcus. Cum vero vaſa ſemel ſunt rupta, praeprimis ſi notabilior fuerit fibrarum contractio, non adeo facile coëunt, quin ſui poſt ſe reliquant notam. Quae nota a' reliqua cute ſaepe non nihil attollitur, vel alio modo corrugatur. Quicquid horum fiat, hic locus, in quo ulcus fuerat, poſtquam ſanitati reſtitutus eſſet, ſubjectus erat *Leprae ſpeciebus* tam *Tumoribus* albis, quam *Maculis* albis rutilantibus. Illud hinc notant Judaei, membra ulceribus vel aduſtione foeda, quamdiu in ſtatu manent morboſo, Leprae non eſſe ſubjecta, quia de ulcere expreſſe dicitur: & *ſanata eſt*, Caro nempe ab ulcere liberata. Convenit Leprae ſpecies externa cum cicatricis colore, quae jam cicatrix nullos admittit globulos ſanguineos, unde cicatricis color eſt albus, qui ſi major juſto fuerit, de Lepra homines reddebat ſuſpectos, in primis ſi in tumorem aſſurgeret majorem.

§. XVI. De *Aduſtione* idem dicendum, ita enim Textus ſacer vs. 24. או בשר כי יהיה בעורו מכות אש לבנה מחית המכוה בהרת לבנה ארמדמת או לבנה: *Item caro, cum fuerit in cute ejus aduſtio ignis, ſi erit pars ſanata ab illa aduſtione papula alba ſubrubida aut alba tantum.* Eſt autem *Ambuſtio* ſolutio continui in partibus ſolidis vel mollibus vi ignis facta. Ignis ut blando ſuo calore corpora noſtra fovet & recreat, vitamque conſervat: ita juſto admotus propius eidem damnum inferre valet maximum. In multis aduſtioni cum ulceribus convenit, & potiſſimum reſpectu cauſſarum differunt. In *ulcere* enim cauſa eſt interna magis licet externae non ſunt excludendae, in *aduſtione* autem ſola cauſſa eſt externa vis Ignis, vel

vel Aquae, Olea fervida, Metella liquefacta; vel candentia, quae facile in ſenſus incurrunt; cumque *aduſtio* etiam externas cutis partes laedit, *Ulcera* intercutanea eſſe ſolent. Sanationis modus ſaepe non multum diverſus, cum & ambuſtionem ſemper ſequantur ulcera. Aduſtio autem ad ſanitatem reducta, hic potiſſimum comtemplanda. Ita enim *Maim. de Imp. Lepr. c.* V. §. 4. התחילו המכוה להיות להתרפאות ונעשה עלה קליפה כקליפת השום זו היא מחית המכוה האמורה בתורה: *Cum aduſtio ſanari incipit tenuique obduci lamella hoc in Lege adpellatur vs.* 24. *Sanatio ambuſtionis.* Hoc eſt, ſi aduſtionis locus priſtinae vitae & ſanitati ſit reſtitutus ut quidquid vitiatum eſſet, priſtinum ſtatum jam recuperaſſet, vel talem qui ad eum vel proxime accedit, tum ille *locus* eſt proprium illud *ſubjectum* in quod *Leprae* plaga cadere poterit. *Suſpectum* hunc *locum* faciunt, omnia in praecedentibus memorata *ſigna albedinis.* Solius enim Maculae apud Moſen fit mentio. Cum autem huic maculae duo attributa dentur *ſubrubida* enim aut *alba tantum* dicitur; hinc non incommode disjunctiva particula diverſam plagarum indicabit ſpeciem. Hanc obſervationem debemus *Eliae Doctori Karaeo*, in eo quem *pallium Eliae* inſcripſit tractatu: להיות על מכות אש בהרת ואחר כך כתוב או לבנה והטלם או שאת לבנה לפי דעת קצע מן החכמים מחקש שאת ובהרת של שחין: *Quoniam poſt aduſtionem ignis ſit mentio maculae, tum additur (aut alba, hoc fieri eam ob cauſſam ut ſub (intelligamus aut tumor albus, ellipſi nominis ſatis frequenti.* Accedit argumentum ex *vſ.* 19. petitum ubi plene legimus שאת ובהרת של שחין *Tumor & macula ulceris*, ita & hic *macula ſubrubida* aut *Tumor al-*

albus. Hunc tamen *tumorem ab illo Tumore, Ambustionis* diſtinguere debemus, cujus v. 28. mentio injicitur. Sed ſatis clare in quo differat additur *vſ.* 28. צרבת המכוה הוא *Cicatrix aduſtionis* eſt aeque ac in ulcere *vſ.* 23. צרבת השחין הוא *cicatrix ulceris* eſt. Cujus diſtinctionis fundamentum traditur *vſ.* 28. coll. 23. 6. *hebetata vel repreſſa plaga.* Quod ſcilicet ad juſtam non acceſſiſſet Leprae rationem, quae in his, quae *Ulcus* vel *Aduſtionem* occupant eſt plane eadem; niſi illud Magiſtrorum placitum interceſſerit, non commiſceri has ſpecies inter ſeſe, neque cum aliis, ita ut una alteri ſuam communicet impuritatem; ſed haec ad rem parum. Illud potiori jure attentionem meretur, quod praeter locum his affectibus proprium, in ipſa ejus ſpecie aliqua occurrat diverſitas.

§. XVII. In illa Leprae ſpecie, quae *tumorem* vel puſtulam admittit, nihil peculiare occurrit, eadem eſt *Albedo*, ſive *cutem carnis* ſimpliciter, ſive *ulceris aduſtionisve cicatricibus deturpatam* occupet. Omnis quam Moſes notat diverſitas, in illa ita eſt ſpecie, quae *Macula* dicitur, quae deſcribitur, quod ſit בהרת לבנה אדמדמת *papula alba ſubrubida. Albedinem* vidimus eſſe primariam Leprae notam, ita ut omnis ejus ſpecies hoc colore ſit inſignis. Hic novum accedit praedicatum, quod varias admittit interpretationes. Vocabulum illud אדמדמת omnem parit difficultatem. Derivatur a' voce אדם. quae *rubere* communiter vertitur. Haec autem Hebraeae Linguae indoles eſt, ut duplicatio radicalium litterarum ſignificationem ordinario intendat ita Jud. V. ארחות עקלקלות *viae tortuoſae* maxime dicuntur. Idem & in coloribus dijudicandis uſu venire debet;

bet; atque ita R. *Dav. Kimchi* notat אדמדמת: אדום שבאדומים כמו ירקרק יורק שביצרקים *Rubescens rubedinem notat summe rubicundam, ut Flavescens, maxime flavescentem flavedinem.* Hunc sensum LXX. attendisse videntur, qui habent Τηλαυγὴς λευκαίνουσα ἢ πυῤῥίζουσα. *Lucida plaga albescens vel rufescens.* Vim vocis quidem observantes, sed & ea disjungentes, quae simplici copula conjunguntur, quamvis Hieronymus similiter eandem copulam disjunctive extulerit. Quomodo autem *albedo*, qualis *Leprae maxime rubicunda* dici posset, sine apparente contradictione? Contrario ergo modo instituerunt saniores Interpretes maximi nominis: Ita *Paganin. Macula alba, subrufa*; Munsterus: *Macula candida atque subrufa.* Castalio, *alba rubicans macula.* Lutherus Röthlichs Eytterweiss Neque longius recedunt Judaeorum Doctores. Ita enim *Thalm. Cod. de Plagis, sive Negaim c.* I. §. 2. הפתוך שבשלג כיין המזוך בשלג הפתוך שבסיד כדם המזוך בחלב דברי ר'ישמע ר'עקיבה אומר אדמדם שבזה ושבזה כיין המזוג במים אלא של שלג עזה ושל סיד דיהה ממנה: *Commixtio coloris nivei Leprae, si habet, ac si vinum nivi admiscetur: in gypsii coloris Lepra mixtio observanda, qualis sanguinis lacti admixti ex mente R. Ismaëlis. Akibah autem statuit: Rubedinem in utraque specie sese habere instar vini aquis diluti, ita tamen ut nivea albedo sit intensior, remissior vero illa, quae gypsum aequarit.* Speciem ergo faciunt ex summa albedine & intensa rubedine mixtam. Neque vero ita soli instituunt Traditionum Doctores, verum etiam haec sententia *Karaitarum* scholis placuit. Ita enim *Elias* ille *Karaita* explicat: הבהירות לפעמים תבוא מערוב האדום והלבן *Maculae aliquando*

ficen

ſunt mixti generis, coloris rubicundi & albi. Ab omnibus ſecedit Cl. *Bochartus* hanc vocem ex uſu Arabismi per *maxume rutilans* exponens. Non equidem inficias ibimus, hoc ſenſu vocem poſſe accipi; imo *Thren.* IV. 5. a' nonnullis Judaeis per *ſplendidum* exponitur. Sed diſpar hic plane eſt ratio; obſtat enim, quod verba Moſis colorem notent; & illud quod de lucido ſplendore notatur jam ſub ipſa voce בהרת indigitatum ſit. Neque etiam facile omnium interpretum conſenſum, qui de colore accipiunt, non de modificatione coloris, temere ſollicitandum eſſe exiſtimamus, quin ſi qua diverſitas ſententiarum occurrat, illae erunt componendae, quantum ſalva rerum veritate licet. Illud itaque ut ad noſtram Leprae ſpeciem adplicemus, firmiter tenemus; principalem *colorem* eſſe *album*, qui prior etiam memoratur, eique conjungendum eſſe *rubeſcentem* quocunque gradu; Non quaſi albedo ſit rubicunda facta, ſed quatenus *maculae* poſcit. Macula obſervatur in *ulceris & aduſtionis* loco, & quidem ad *recentem Leprae ſpeciem* pertinet; cum *Tumor* ſit *inveteratae* nota: Aderit itaque in hac *macula intenſior albedo*, non nihil tranſparens: Interne autem locus occurrit rubicundus magis ſolito, qui per albicantem colorem radios transmittit, quales in aquae & vini, vel ſanguinis & lactis mixtione videmus. Neque hoc in *ulceribus* aut *ambuſtionibus* alienum; praeprimis ſi non diu ſanitati ſunt reſtituta membra, ipſa cicatrice nondum in callum mutata, quo facto, tumor fit major & affectus nomen *inveteratae Leprae* meretur. Non enim promiſcue de *Lepra* hoc aſſeritur, ſed ſemper *maculae* hoc tribuitur epitheton, quod Judaei, ut vidimus, ad *abſceſſum maculae* non vero ulterius extendunt.

§. XVIII. Omnes jam memoratae Leprae *species*, *maculas*, *tumoresve* cum suis *abscessibus*, (sive in *cicatricibus ulcerum*, vel *adustionis*, sive in *cute* ceteroquin *sana* eruperint, quaecunque etiam *impuritatis habuerint signa*,) externam corporis superficiem occupasse, non semper tamen aeque polluisse notandum est. Imo hoc in affectu illud peculiare, quo gravior sit morbus eo minus impuritatis legi eum fuisse obnoxium. Quid enim gravius accidisse potuit, quam si malum non tantum latius serpat, quod nunquam bonum sed & successu temporis, totum externae corporis occupet habitum, quod tamen inter optima puritatis habendum erit signa. Haec Leprae species erat *universalis* dicta, quam ultimo loco paucis videbimus. Uti ex *Mosis Historia* constat, *Universalis Lepra* est, quae totum Corpus a' capite ad calcem tegit, quantum quidem oculo diligenti explorare licet; Hanc ita nobis describit *Moses* *vs.* 12. 13. *c.* XIII. *Lev.* אם פרוח תפרח הצרעת בעור כסתה הצרעת את כל עור הנגע מראשו ועד רגליו לכל מראה עיני הכהן וראה הכהן והנה כסתה הצרעת את כל בשרו וטהר את הנגע כלו הפך לבן טהור הוא: *Quod si omnino efflorescit illa Lepra in cute ejus, retegetque illa Lepra totam cutem plaga affecti, a' capite ejus usque ad pedes ejus quacunque inspicient oculi Sacerdotis. Si viderit Sacerdos, quod ecce texit Lepra illa totam carnem ejus, tum mundum declarabit plaga illa affectum, tota mutata est in albam, mundus est igitur.* De inveterata loquitur, quae in nervum erumpit, & in ferti[li] solo vitiati corporis sita, citius & latius efflorescit, partes vicinas corripit, sanam cutem inficit totumque corpus albedine tegit, vel tumore ill[o] albicante opplet, a' capite ad calcem, quousqu[e]

illu[d]

llud cutis exporrigitur tegumentum. Mutationem hic eveniſſe ſolamque albedinem Leprae nomine notatam videmus: Reliqua ſigna hic occurrunt vel nulla, ve ſi quae ſint, in cenſum non veniunt. *Pilus* ſcilicet *albus* adeſſe & abeſſe poteſt, citra puritatis detrimentum. *Aſpectus profundior* vel *depreſſior*, toto corporis immutato habitu, non poteſt obſervari; ut & *diffuſio* locum habet nullum; ſola *vivacitas* huic accidere potuit Leprae; *Caro* ſcilicet *viva* ſive *ſana*; quae tamen ſi adfuerit, pro particulari habenda erat Lepra. Hoc tamen non ita intelligendum, quaſi nihil ſani in toto corpore eſſe poſſit; illa enim tantum intelligenda ſunt loca, quae unico intuitu ſtatim in oculos incurrunt, illaque membra, quae vel Lepram non admittant, vel licet admiſerint, pollutionis tamen lege eximuntur, neque hanc Lepram univerſalem reddunt impuram. Illa autem membra hoc ordine narrat *Maimonid. Cap.* IV. §. 1. *de Leprae impuritate*, *ex ipſo Cod. Negaim c.* VI. petita: אלו מקומות באדם שאין מתטמאין בבהרת תוך העין ותוך האוזן ותוך הפה והקמטים שבבטן והקמטים שבצואר ותחת הדד ובית השיחין וקף הרגל והצפורין והראש והזקן שיש בהן שיער והשחין והמכוה המורדים *Haec corporis humani loca Lepra non poſſunt pollui. Media pars oculi, Auris, Menti, Oris; item Rugae ventris vel colli locus item ſub mammis, aut axillis, plantisque pedum; ut & Ungues, Caput, & Barba crinibus pilisque veſtita; Ulcus & aduſtio, dum exacerbantur.* Illius rationes inquirere non vacat, ne nimis excreſcat oratio, cum alia adhuc nobis agenda ſint, quae minime omittere oportet.

§. XIX. Quae hactenus diſputavimus, ſi in unum colligamus, jam certius nobis conſtare poterit,

terit, quid Lepra ſit, quave ratione *definiri* debeat. *Abarbanel* in illis ad *Legem* commentariis חולי באחד מאברים הבעלי חיים המרגיש ישהיתו הצורתו הטבעית *Lepram eſſe morbum in aliquo membro animalis vivo ſenſu praediti, quo forma ejus naturalis corrumpitur.* Hanc vero nimis eſſe generalem deſcriptionem, minusque definite naturam vel ſigna hujus morbi tradere, facile attendenti patet. Melius *Maimonides* inſtituit, *Cap.* 1. §. 1. quem locum ſupra §. 10. citavimus. Minus tamen plene cum particularem deſcribere videatur Lepram, a' ſignis quae univerſali melius competunt. Tentandum igitur, num his praeeuntibus, aliam paulo pleniorem dare poſſimus. Aſſerimus itaque „ LEPRAM *cutis, eſſe affectum* „ *cutis externae praeternaturalem quo naturalis ejus co-* „ *lor in albedinem majorem tranſit, cum, vel ſine pi-* „ *lorum mutatione, diffuſione, vivacitate*". *Nullam Leprae ſpeciem* dari exiſtimamus, quae *ad cutem pertineat*, ſive *ſanam* illam ſive *cicatricibus* deturpatam, ſive *univerſalem*, ſive *particularem*, ſive *maculam* ſive *tumorem*; cum ſuis *abſceſſibus* conſideremus; quin haec in illam quadret definitio: Affectus quippe eſt praeternaturalis, qui a' naturali ſtatu magis vel minus recedit; hic autem נגע *plaga* eſt, quae ab afficiendo dicta eſt, unde *affectum* quoque vertere liceat. Hoc in affectu, *Cutis*, ſub qua & cuticulam comprehendi diximus, ſpecia tim rationem habendam eſſe, in definitione diximus, & ſupra probatum dedimus. Cumque vari cuti accidere poſſint vitia; vel lacerando, pur gendo, rumpendo, ut in vulneribus, ictibus & ulceribus, ut & ambuſtione fit; vel ſuperficie ejus inaequalem faciendo, ut dum tumores & pu ſtulae ſurgunt; vel externam ejus ſpeciem mu

ta

tando, ut in vitiligine accidit, aliisque lentiginum maculis; ad hanc ultimam vitiorum classem, quae mutationem coloris inducit referimus *Lepram*. Quae tamen non sola coloris immutatione contenta est, sed plerumque (nisi *universalis* fuerit) vel *adspectum*, vel *pilos* mutat, vel *diffunditur* latiusque serpit, vel ipsa *vivacitate* pars affecta foedatur. Omnia haec valent *signa* in corporibus Hebraeorum, quibus speciali Lege injunctum erat, ad haec ut attenderent, suique corporis accuratiorem haberent curam. Cum Lepra Graecorum, quae & tandem in Elephantiasin transit, nostrae, praeter nomen, parum convenit. Interim definitio illa, qua λέπρα dicitur ἡ ἐν τοῖς σώμασι παρὰ φύσιν λευκότης *Praeternaturalis corporum albedo*, non longe recedit ab illa *Maimonidis* laudata si vero omnia cutis externae examinemus vitia, proxime ad hanc Hebraeorum Lepram accedere videtur illa vitiliginis species, quam ἄλφον & λευκὴν Graeci appellant. De his *Corn. Celsus Lib.* V. *c.* XXIIX. 19. ἄλφος *vocatur, ubi color albus est fere subasper, & non continuus, ut quaedam quasi guttae dispersae esse videantur* λευκὴ *habet quiddam, simile Alpho, sed magis albida est, & altius descendit in eaque albi pili sunt lanugini similes. Haec omnia serpunt in aliis citius, in aliis tardius.* Negari equidem nequit, magnam has vitiliginis inter & Leprae species esse convenientiam: (α) Color est albus ut vel ipsa nomina huic vitio inde sint imposita ἀλφὸς & λευκὴ, (β) summa species λευκὴ quae dicitur magis albida est, aeque ac בהרת macula, quam nivis instar candere diximus. (γ) altius descendit, num hoc idem sit quod facer textus *speciem* vel aspectum *profundiorem* vel *depressiorem* vocat, non definio, quamvis in

contrarium potius inclinem. (δ) Alphus dicitur non *continuus*, *ut quaedam quasi guttae dispersae*; idem de Lepra Hebraeorum observatur, illius quantitatem non esse semper continuam sed quandoque discretam (ε) Lepra mutat pilos in albos ita quoque in leuce pili notantur albi. Quod autem *Celsus* de his pilis addit, eos esse *lanugini similes* hoc si non plane convenit, conferri tamen meretur cum illo Rabinorum afferto, quo Leprae speciem cum צמר לבן *lana alba* comparant. (ζ) Serpere dicitur hoc vitium in aliis citius, in aliis tardius, idem quoque in Lepra cutis vidimus. Imo (η) *Celsus* addit λευκὴ *quem occupat non facile dimittit*; quod de *Lepra* summo jure afferi poterit, cum ut videbimus in sequentibus inter incurabiles affectus numeretur. Doctissimus *Drusius* suam exponens sententiam, *mihi videtur*, inquit, בהרת *esse vitiligo alba*, *quae Graecis* λευκὴ *dicitur. Vitiliginosae cutis deformitas*, *qualis illa Lepra quae a' Christo in Evangelio curatur Math.* IIX. 3. *de qua Arnobius. Ille notas albicantium vitiliginum manu admota detersit.* Juvat hanc opinionem vox Arabica אלרבץ sive ברץ quae apud *Avicennam* & alios Medicos *Vitiligines* exponitur. Dicitur & Ἄλφος ab albedine: Praecipua conveniunt signa, ita, ut si non eadem sane non multum diversa sit *Vitiligo a' Lepra* quamvis potius cum בהק eam convenire putem quod itidem albicantem habet speciem, sed remissiorem, ipsaque vitiligo esse videtur. Quandoquidem vero inter Leprae signa retulimus *Vivacitatem*, hoc est, ut aliquid sanae cutis sit in medio leprosae, quod summum vitium innuere diximus, attamen haec nota in omni vitiligine frustra quaeritur. Neque valebit exceptio hoc signum tantum impuritatis fuisse, non autem

mor

morbi; Cum vel maxime *inveterati mali signum*, hoc sit cum *pilo albo* conjunctum; nec non si in *universali* Lepra observetur, aliam particularem speciem efficiat. Quid quod alia Leprae species, simplicem cutem occupet, eamque vel in tumorem, vel in aspredinem extollat vel etiam depressiorem apparere faciat; alia cutem deturpatam teneat, quae & mixti coloris dici potuit, quales differentiae in illis vitiliginum speciebus observari vix poterunt. Hinc probabili ratiocinio conclndere liceat, hanc Hebraeorum Lepram Cutis, „ad vitiliginem quidem in plurimis accedere, non tamen in omnibus, adeoque pro „ diverso affectu esse reputandum".

§. XX. Caeterum in *caussas* hujus mali, quod Hebraeo populo quondam grave erat, totamque nonnunquam depascebat cutis superficiem & saepe altius serpebat, instituti nos jubet inquirere ratio. Omnis autem de *caussis* disquisitio ad duo commode referri potest capita, vel enim haec Lepra *caussam* agnoscit *moralem* speciali Numinis judicio immissa, vel *naturalem* habet simul *caussam* quare in hoc vel illo, singulari dispensatione divina oriatur. *Moralem* hujus mali causam extitisse, vel ipsa exempla docent. Ne Rex quidem ab ea tutus, qui si contra Legem Dei peccaret, extraordinaria hac poena Leprae afficiebatur. Id quod Uziae, sacra facere & adolere volenti suffitum, quod solis licebat sacerdotibus, obtigisse legimus 2. *Chronic.* XXVI. 16. 19. servus Prophetae Elisae Lepra percussus est, cum munera nomine Domini, contra voluntatem Prophetae accepisset à viro Principe Syro 2 *Reg.* V. Maria summi Pontificis Aharonis soror leprosa facta est, speciali divinae providentiae dispensa-

tione ut *Num.* XII. 9. 10 *De miraculoſa Lepra*, qua manus Moſis affecta & illico ſanata eſt, nihil dicam; illud tamen ex his concludere licere exiſtimans, hoc morbo divinam uſam fuiſſe curam & providentiam, ut humanas actiones ſibi cognitas, ſeque juſtum eſſe malorum vindicem, omnibus certo conſtaret certius; imo ſi ullus morbus, haec ſane Leprae plaga talis fuit, ut plurimum ipſis id confitentibus Judaeis. Bene de hoc negotio rationem ſubduxit *Abarbanel*, in illis in *Legem Comm.* והצערת הבא עליהם והנרפה מהם הכל הוא בהשגחת השם ועל דרך מאמר אדון לא הכב יאים במשנה תורה השמר בנגע וג"ו ונתן להם ראיה על היות צרעתם בהשגחה בטבע ממה שקרה למרים שמפני מה שדברה במשה לקתה בצרעת ונרפאה בתפלתו: *Sive autem iis Lepra accideret, ſive ab ea ſanarentur, ea omnia a' divina dependebant Providentia: ſecundum illud principis Prophetarum monitum, quod in Deuteronomio.* XXIV. 8. *legimus: Cave Tibi a' plaga Leprae* &c. &c. *cujus rei mox rationem ſubjicet: Lepram eorum, a' divina eſſe Providentia, non a' cauſſa naturali, ut ex eo, quod Mariae accidit patet, ea quippe, quoniam contra Moſen locuta fuerat, Lepra percuſſa eſt, & interceſſione ejus ſanata.* Ita etiam Thalmudici *Lepram* ob *peccata commiſſa*, ſpeciali inflictam volunt numinis vindicta, & ſic enumerant illa crimina, ob quae perpetrata Lepra accidat *Codice* ערכין עלשבעה דברים נגעים באים על לשון הרע וגסות גול צרות עין שפיכת דמים שבועות גלוי עריות: *Septem de cauſſis plagae fiunt; ob malignitatem, obtrectationem, ſuperbiam, furtum, invidiam, homicidium injuſtum, perjurium, ſcortationemve interdictam.* Haec ſunt peccata, quae perpetrata divinam non effugient vindictam, li-

ce

cet in judicio humano non ſint rei, vel juſtam poenam effugerint. Nonnulli Judaeorum omnem aliam rejiciunt *cauſſam*, hac ſola contenti divina providentiae nota. Neque etiam hanc in dubium vocare Chriſtiano licet; quin imo, Philoſophia hoc ipſos gentiles docuit, extraordinaria mala, cauſſas agnoſcere extraordinarias, & Numinis arguere praeſentiam. Quemadmodum itaque *cauſſam* hanc *moralem* lubentes admittimus, ita quoque a' ratione non alienum eſſe arbitramur, ſi ſimul de *cauſſa phyſica* ſive *naturali* ſimul ſoliciti.

§. XXI. Judaeos ſi conſulamus, quibus hoc vitium familiare fuit, illi de *cauſſis phyſicis* hujus mali ita ſentiunt, referente R. *Alſcech* in Libro quem תורת משה legem Moſis inſcripſit *pag.* 175. 2. הנה חכמי הטבע נתנו סיבה אל נגע צרעת כי תהיה באדם מאחד מ'ג דברים מבעילת נדה מחמת ערלה מעפוש הדם הפנימי וחב דאבות שמפליש ויוצא העיפוש חוצה בהרות: *Tres vulgo Philoſophi aſſignant cauſſas, cur homines Lepra laborent; vel enim hoc fieri volunt ex concubitu impuro cum menſtruata; vel ex praeputii aeſtu; vel denique ex ſanguinis corruptione interna & infirmitate latenti; quae erumpens corruptionem extrinſecus propellit.* Idem, ut ſolent Judaei, repetit R. *Iſaac Karo* Libro, תלדות יצחק *res geſtae Iſaaci* dicto, niſi quod loco *corruptionis* ultimo memoratae, ponat *Alimenta Prava* aſſumpta. Contra hos Philoſophos R. *Alſchech* hunc vero in modum argumentatur, nullam allatarum cauſſarum hic valere. Lepram quippe ab impuro coitu cum muliere menſtruata evenire non poſſe, cum Mulieres Hebraeae Catameniorum tempore neminem admittant, utpote interdictae viro; quod vero de praeputio, afferunt, cum in tota gente octavo die circumciſa,

nullum reperiatur praeputium id falsitatis convinci. Quid quod neutra caussarum in foeminis locum habere possit? Neque tertia ipsi placet caussa corruptio interna sanguinis, cum extrinsece cuti hanc plagam tantum accidere existimet. Sed in hac sententia quam ultimo loco propugnat, plurimi, iique Doctissimi Judaeorum non consentiunt, quin potius in alia omnia abeunt. Sic R. *Levi Gersonides*: מפני של העדר התנועה יתקבץ החום היסודי ויתגבר על החום הנוכרי שהוא סבת הנגע והוציאהו לחצונה הגוף וכאשר יתחזק התולי עם ההסגרה אז יורה על העפוש שבגוף אשר הוא סבת הצרעת: *Ob privationem motus, calor naturalis collectus, calori praevalet peregrino, qui hujus plagae caussa est, quem ex corpore expellit; si vero cum seclusione morbus augeatur, hoc incrementum eam notat corruptionem in corpore, quae hujus Leprae caussa sit.* Hic corruptionis internae expressam mentionem injicit, additque praeterea calorem peregrinum, hoc est impetum sanguinis auctum. Omne quod corpori nostro ejusque partibus vitium accidit, fieri solet, vel vitio vasorum vel vitio liquidorum in vasis contentorum, vel utraque ratione simul. Liquida, quae per vasa feruntur, vel quantitate, vel qualitate vel motu peccant. Si quantitate oritur plethora; si qualitate pro diversitate varia, varii fiunt morbi, si motu peccent, vel in defectu hoc fit, vel etiam in excessu ut in febribus ardentibus. Hic pars affecta est externa cutis, adeoque vasa illa minima capillaria arteriarum & venarum, cum reliquis glandulis vasisque excretoriis, hac in parte occurrunt. Vasa illa vehunt liquidum, imo ut ex rubedine apparet, in statu naturali sanguinem admittunt. Vitium quod his vasis accidit, heic

est

eſt obſtructio, ut liber ſanguini reliquisque humoribus negetur tranſitus, ſive illa obſtructio fiat externa compreſſione, ſive quod multo probabilius interno infarctu materiae, quae facile haeret, aliisque particulis aditum intercludit. Cauſſam itaque in ſtagnante liquore quaerendam eſſe probabili ratione ſtatuendum videtur. Quemadmodum etiam Judaei explicant; אדם היה משקל הציו מים והציו דם בשעה שהוא זוכה לא המים על הדם רבים ולא הדם רבים על המים ובזמן שחוטא פעמים המים רבים על הדם ונעשה אדרופיקום ופעמים שהדם רבים על המים ונעשה מצורע: *Juſta proportione in homine ſanguis & Lympha eſt, quamdiu ſanus eſt, nec lympha ſanguini, nec ſanguis Lymphae praevalet; pro peccati autem ratione ſi Lympha praevaleat ſanguini, homo fit Hydropicus, ſin ſanguis praevaleat Lymphae fit Leproſus. Hic dicitur ſanguis peccare in Lepra quia minus Lymphae eſt. Hoc eſt ſanguinem excuſſo liquido incraſſari*, fierique ſpiſſiorem, viſcidiorem, & admotum ineptum magis, qui proin in extremis vaſis tanquam lentor facile haereat, & inflammationem pariat, vel etiam ſtagnet, & alium inſequentem dilatatis vaſis accipiat, unde Tumor, aut excludat, ut in Macula. Imo eo usque Judaei procedunt, ut ſanguinis intemperiem quae in Lepra peccat, ad ipſa quatuor determinent ita dicta temperamenta Sic *R. Iſaac Karo*: כמו המזוגים ד" ועבירות ד" בן באים ד" מיני נגעים כנגד לבנה בא בהרת וגו" כנגד הדם בא שאת וגו שחין היא מאדומה וגו' מכוה כנגד שחורה שהיא שקיעת ליחות והשחורה בלתי טבעי היא שריפת הליחות: *Quemadmodum temperamenta dantur quatuor, totidem vitia cardinalia; ita quoque plagarum quatuor ſunt genera; temperamento phleg-*

phlegmatico respondet macula sanguineo tumor, ulcus est ex cholerico, ambustio respondet melancholico, quatenus notat humorum suppressionem, cum atrabilis praeternaturalis sit adustio humorum. Pro ratione constitutionis sanguinis varii oriuntur affectus, varia particularum obtinet conformatio, quae cum infinita sit, facile determinari nequit. Illud in genere asserere possumus esse ליחות רעות *humores depravatos* qui pro diversitate sanguinis, magis minusve viscidi & corrosivi, stagnant macululasve impetiginosas, vel si major adsit acredo, tumores pustulasve excitant albas. Albedo haec etiam fit inde, quod nihil sanguinis amplius ad haec deferatur vasa, quod illae partes superficiariae cutis, quasi mortuae sint, unde & mutatio pilorum fieri solet, quod illi justum non amplius recipiant alimentum. Hoc malum pro acredinis indole, citius serpit, vel tardius, imo inveteratum si fuerit, hoc est, si fomes latuerit diutius, ille excitatus, quaqua versus efflorescere, totum occupare corpus potest. Quodsi autem in una alterave parte, circulationem sanguinis, ut antea fieri contingat, illa pars erit sana & vivacitas in hac plaga appellabitur. De universali Lepra hanc notat caussam Abarbanel: שהטבע דוחה זה העפוש מורה על ממשלת החום הטבעי בחומה המעפוש ולכן ידחהו בכל צד כמו שיעשה ביו׳ הגבול בקרחו: *Naturam hanc expellere corruptionem indicium est calorem praevalere naturalem, prae calore ortum ex corruptione, quae undique dispellitur, ut in criticis diebus febrium accidere videmus.* Evacuationem aliquam criticam esse vult hic Auctor *universalem* illam *Lepram*, sed tamen minus perfectam, in extremitate cutis quippe haerente malo, ut in variolis & morbillis fieri observatur.

§. XXII.

§. XXII. Ut quae de hoc morbo dicenda restant, absolvamus, hanc ejus formare *Prognosin* liceat: „ *Esse scilicet morbum gravissimum mini-* „ *me autem lethalem, neque ullo modo contagiosum, in-* „ *curabile tamen*". Quae ubi evicerimus, finem huic tractationi imponere nos posse confidimus. *Gravissimum* esse hoc *malum*, vel ex eo patet, quod tanquam severae vindictae nota denuncietur, & inflicta legatur. Ab ea serio sibi cavendum esse Moses inculcat *Deut.* XXVI. 8. Ipseque summus populi Hebraei pontifex primus, cum sororem suam ista plaga affectam conspiceret, supplex pro ea his verbis intercessit: אל נא תהיה כמת אשר בצאתו מרחם אמו ויאכל חצי בשרו: *Ne quaeso sit instar mortui, qui ex utero materno exclusus, dimidia carne sua exesa* Num. XII. 12. Corruptionem hanc notat maximam, ut mortuo similes, humano ejiciantur consortio, & sic v. gr. fronte manuve affecti, servorum litteratorum instar, criminis constantem gerant nomen & notam. Judaeis *Lepra* inter gravissimos relata est morbos. R. *Alschech* expresse ait; בגדלים החלאים הוא הצרעת: *Lepra haec inter gravissimos morbos est reputanda.* Quid non tentarunt mortalia pectora, ut corpori suo bene sit, ut forma ei constet integra & nihil patiatur damni? Neque enim externa solum foedabat Lepra, sed doloribus saepe exquisitissimis emaciabat corpus. Huc Davidem respexisse volunt Judaei. *Ps.* LI. 10. quem & per sex menses Lepra laborasse affirmant. Morbi gravitatem vel ipsum ejus nomen Haebraeum indicat צרעת quasi צתר רעת *Angustias malas* significat, quas Judaei cum ictibus & morsibus scorpionum & Vesparum comparant. Ita Cod. *Chagig.* pag.

pag. 5. מאי רעות וצרות אמר רב רעות שנעשו צרות זו לזו כגון זבורא ועקרבא פי' כגון עקיצת זבורא ועקרבא ביחד לעקיצת עקרבא יועיל חמימי ולעקיצת זבורא יועיל קרירי וחילופא סכנתא נמצא המועיל לאחד מזיק לאחר לכן הן צרות זו לזו: id eſt; *quid illud* Deut. XXXI. 21. *Mala & anguſtiae? Reſpondet Rab. Mala eſſe, quae ſibi invicem ſint maxime contraria, ut Veſpae & ſcorpio; ſi ſcilicet Veſpa & Scorpio eodem in loco aliquem laederent; contra Scorpionis morſum calefacientia proſunt, contra Veſpae ictum faciunt refrigerantia, omnisque mutatio medicamentorum eſt periculoſa; Atque ita quod uni prodeſt, alteri nocet, adeoque haec ſibi invicem ſunt contraria.* Id ſcilicet agunt Judaei, ut hac ratione contrariorum effectuum comparatione, gravitatem morbi exaggerent, & quantum licet more ipſis ſatis familiari explicent. Ad hanc morbi gravitatem referre quoque liceat, cum *ſecluſionem*, quamdiu Lepra eſſet *dubia*, quae per ſeptiduum unum vel alterum durabat, tum omnimodam e' coetu reliquorum hominum *ſeparationem*, qua ſeorſim extra caſtra vitam agere, & hominum aliorum commercia fugere lege jubebantur. Non quidem ob contagii metum, ut mox patebit, ſed ne alios, ipſi ſumma Leprae immunditia laborantes, impuros redderent, & ad obeunda ſacra ineptos. Qualiscunque autem fuerit Leprae impuritas, nullum tamen inde praeſentis *mortis* incurrebant *periculum* ſed per plures annos hoc protrahebatur malum, ut in Arthritide fieri hodiedum obſervare licet. Nec multum diſpar eſt ratio; extrema enim cutis & corporis humani membra occupat Lepra, ſalva interim ſanguinis circulatione & reſpirationis viciſſitudinibus, quibus vita cor-

corporis organici potiſſimum peragitur. Et ſi altius ſerpat, hoc lente & ſenſim ſine ſenſu demum fieri poterat, ut niſi alia accedant ſymptomata, non adeo facile ex Lepra mortem metuendam habuerint; neque in tota ſcriptura hominem ex Lepra deceſſiſſe legamus; ſed ubi mortis leproſi ſit mentio, ſemper ſic loquitur ſcriptura ut mortem naturalem indicari probabilius eſſe videatur 2 *Chron.* XXVI. Ita Prophetae Eliae ſervus a' Domino dimiſſus, aliquot annis poſt inter Regis Aulicos & Amicos repertus eſt, quamvis Leproſus fuerit usque ad mortem: Quatuor Leproſi extra portam Samariae degentes, ut vitae ſae conſulerent, ad Syros transfugere meditati ſunt, ne fame, qua urbs premebatur obſeſſa, & ipſis pereundum eſſet: 2 *Reg.* VII. 2.

§. XXIII. Mirabuntur forte nonnulli, quod *Contagium* inter mala Lepram conſequentia referre omiſerimus, cum ſane ad graviſſimum morbum deſcribendum, *Contagii* nota maximum addat momentum. Neque deſunt viri docti, quibus haec de *Leprae contagio*, placet ſententia, ea potiſſimum, ut videtur, ratione ductis, quod ipſa ſecluſio & remotio Leproſi, certiſſimam contagii ſuſpicionem praebere videatur. Neque rem videri a' ratione alienam putant, cum ex corruptione humorum in corpore oriatur Lepra & in Oriente potiſſimum *Contagii* juſtus ſit metus. Quid quod Juſtinus Judaeos Aegypto pulſos aſſerat, ob ſcabiem & Lepram, qua maxima pars populi laboraret. His tamen ſimilibusve rationibus permoveri non poſſum in animum ut inducam credere, *Contagii* vitium huic malo unquam adhaeſiſſe. Nam Juſtini Auctoritas quatenus Moſi eſt contraria, nihil evincit; neque ſolo ratiocinio rem facti determinan-

nandam esse arbitramur, quae justa Testimonio-rum auctoritate, consequentiarumque inde elicita firmitate se commendare, & assensum exigere nostrum potiori jure postulat. De ipsa leprosi impuritate hoc solum notamus; illam nihil minus quam *contagium* indicare. Quandoquidem omnis illa impuritas ab ore penderet sacerdotis, cujus nisi intercessisset auctoritas, Impuritas fuisset nulla, quod qua ratione de *Contagio* dici possit non video. Ne vero praeter rationem hoc dictum quis putet, ad ipsam provoco *Mosis* historiam, qui omnem de Lepra suspectum sacerdotem adire jubet, ejus-que expectare sententiam. Totum hoc negotium sic exponit, *Maim. de Lepra c.* XI. הכל כשרים
לראות נגעים והטומאה והטהרה תלויה בכהן כיצד
כהן שאינו יודע לראות החכם רואהו ואמר לו
אמור טמא והכהן אמר טמא אמור טהור והכהן
אומר טהור הסגירו והוא מסגירו שנ' על פיהם
וגו': *Omnes licite plagas examinant; at puri aut im-puri declaratio soli sacerdoti concessa. Quodsi Sacerdo[s] examinandi minus peritus fuerit, tunc sapientis consili[o] utetur, quo jubente impurum declarare, impurum de-clarat Sacerdos, sin mundum pronunciare jubeat, mun-dum pronunciabit eum Sacerdos, aut secludendum se-cludet, secundum illud Deuter.* XXI. 5. *Ex eorum or[e] agetur omnis controversia, & omnis plaga*, id est *Lepra.* Haec quippe *moralis declaratio* Sacerdotis a' *physico* longe distat *contagio*, adeo ut leprosi liberum non negatum fuit commercium, antequam Sacerdoti de ea constitisset; tamdiu enim licite templum forumque frequentabant, sine ullo im-puritatis nedum contagii metu. Quodsi enim justa *contagii* fuisset suspicio, ipsum Legislatorem omnem Leprae speciem impuram declaraturam fuisse, fit verosimile. Quid nonne ab *universa*

Lepr

Lepra, quae totum occupat corpus, ſummum imminere periculum dices? Attamen ab omni pollutione liberum talem declarare debuit Sacerdos, ſi legi inſiſtere vellet. Neque vero Judaeorum ſilentium hic plane negligendum, praeprimis ſi attendamus, omnia paternae legis inſtituta huc tendere, ut nullam hujus contagii admittant ſuſpicionem. Admodum ſunt ſoliciti Judaeorum Magiſtri, in definiendis temporibus & locis, caeterisque circumſtantiis, quibus examen de Lepra inſtitui poterat. Ita enim Thalm. *Negaim de plaga c. II.* §. 2. אין רואים הנגעים בשחרית ובין הערבים ולאבתוך הבית ולא ביום המעונן ולא בצהרים אימתי רואין בשלש בארבע בחמש בשמונה ובתשע: *Leprae examen non licet inſtituere neque mane, neque veſperi, neque in interiori domus parte, neque die nubilo, neque ipſa meridie, ſed examinanda eſt tertia, quarta, quinta, octava & nona diei hora.* Varia quoque laetitiae publicae vel privatae tempora erant obſervanda; ut Feſta illa anniverſaria, quae nonnunquam ad ſeptiduum usque excurrunt; dies item Nuptiales; hae nimis ſacrae reputabantur, quam ut immunditiei declaratione commune gaudium interpellaretur. Hinc illud Thalm. *Neg. c. III.* §. 2. חותן שנר אה בו נגע נותוים לו שבעת ימי המשתה לו ולביתו ולכסותו וכן ברגל נותנים לו כל ימות הגרל: *Si plaga in ſponſo adpareat, totum ſeptiduum convivii nuptialis ipſi concedendum eſt; tam pro ipſo, quam pro domo, ſupellectilive ejus. Feſto item tempore omnes feſti majores dies illi concedendi ſunt.* Quis jam ad haec animum appellens ſuum, audeat *contagii* notam huic inurere malo, quod publicam privatamve non interrumpebat laetitiam? Et ne ullam Leprae excludamus ſpeciem, modo ci-

citatus locus vetat. Sive enim ipſum ſponſum, ſive ejus veſtes, ſive domum invaderet, non illico, diſſoluto convivio, quilibet aufugiebat, ſuae conſulens ſanitati: ſed res omnis manebat integra, donec juſtum nuptiarum eſſet elapſum tempus; tunc vero ſi die ſequenti nubilum coelum fuiſſet, ulterius examen differendum; qualia in morbis contagioſis obſervari, nemo facile perſuadebit. Accedit quod nec omnis Lepra ſit immunda; non repeto quae de univerſali extra dubium ſunt poſita, illa tantum noto, quae Judaei obſervant circa loca humani corporis nulla Lepra polluenda. Quaenam illa ſint, ex his Thalmudicis regulis diſcimus, quas habemus Cod. Negaim c. VI. §. *Maim.* I. *c. c.* VI. I. אלו מקומות באדם שאינן מטמאים בבהרת תוך העין תוך האוזן תוך החוטם תוך הפה הקמטים [שבבטן] והקמטים שבצואר תחת הדד ובית ה השחי כפהתל הצפורין הראש והזקן [שיש בהן שיער] בשחין המכוה הקרחת המורדים: *Haec corporis humani membra non inquinantur à macula: media pars Oculi, Auris, Menti, Orisve, Rugae Ventris & Colli, loca ſub mammis tecta, Planta pedum, Ungues, Caput Barbaque crinibus obſita, Ulcus, Ambuſtio, Inflammatio, in ſtatu praeternaturali.* Praeterea illud omnem contagii notam à Lepra longius removet quod non omnes eadem affecti plaga, ſed ſolum tantum Judaei eſſent removendi, dum alii peregrini vel inquilini, qui Lege Moſaica non tenebantur, ab hac impuritate legali immunes eſſent כל נשמאים בנגעים חוץ מן הנכרי:גר תושב *Omnes polluuntur Lepra, exceptis peregrinis & inquilinis.* Judaei enim inter illa inſtituta, quae ſoli populo Israelitico data ſunt, etiam hanc de Lepra legem referunt; & ad ſolos Hebraea ſti

pe ſatos, vel juſto titulo huic genti adſcriptos, iſtam de Leprae immunditia & puritate ceremoniam, pertinere tradunt. Naaman Syrus in Regiam admiſſus eſt, ſine ulla impuritatis nota, ullove contagii metu. Ex quibus, niſi nos omnia fallunt, certo concludimus, praecipuis Judaeorum Magiſtris, Traditionumque Auctoribus, nunquam in mentem incidiſſe ullam de Leprae *contagio* ſuſpicionem, omnemque hanc de contagioſa Lepra ſententiam, plurimis antiquiſſimis ſcriptoribus aeque ac Moſi, plane fuiſſe incognitam.

§. XXIV. Pergamus itaque, ut quod reſtat ad finem perducamus. Quomodo nobis de hujus morbi agendum eſſet *curatione.* Qua tamen ſuperſedere poſſumus, ſi attendamus, hoc malum noſtris regionibus & temporibus fere eſſe incognitum. Judaei quoque hodierni ſe ab hac plaga immunes eſſe exiſtimant. Quod ſi omnia, in hiſtoriis ſacris, Leproſorum ſanatorum recolamus exempla, neminem humana opera priſtinam corporis formam recuperaſſe legimus. Semper enim ſpecialis Numinis gratia eluceſcit, & inter miracula *Leprae curatio* habetur. Videmus enim ipſam vitiliginis ſpeciem hanc habere *prognoſin*, apud *Corn. Celſum* L. V. 28. *Ultimum* (λευκὴν) *vix unquam ſaneſcit.* Idem & de *Lepra* nos dicere poſſe confidimus, omni exemplorum inductione freti, quae praejudicium in re facti creant ſufficiens. Syriae rex ad regem Iſraelis amicum ſuum mittens, rogavit ut hunc Naamanem a Lepra reſtitui curaret. Quid vero ad haec rex ille Iſraëlis? convocatne concilium Medicorum, vel ad curationem hujus morbi ipſe animum adducit? minime. Sed litteris perlectis, lacerans veſtes, in haec verba erumpit: *An Deus ſum, ad morte affi-*

 cien-

ciendum, & ad restituendum vitae, quod iste mittit ad me, ut restituam virum a Lepra sua? 2. *Reg.* 7. scilicet hominem a Lepra restituere, divinum opus esse agnoscit, omnesque humanas superare vires; idem enim esse ac mortuo vitam reddere, quod in nullius mortalis potestate positum esse omnes agnoscimus. Leprosorum, quorum in historia evangelica fit mentio, pristinam nemo recuperavit sanitatem, nisi voluntate & nutu potenti Jesu, quem Christum & Deum Christiani omnes venerantur & colunt. His quoque nulla parabatur Medicina extrinsecus vel intrinsecus adplicanda; neque ipsi aegri aliter sanitatem quam precibus & fide petebant. Quid quod Moses aegrum non jubeat adire medicum; sed simpliciter sacerdotem, sive *dubia*, sive *certa* sive plane *sanata* esset Lepra? Hoc argumento jam olim usus est R. *Alschech* אל יעלה על רוחך כי המקרה או סבה טבעית החלי או המרופא מרפא שהיה נמשך מזה שנגע צרעת כי תהיה באדם והובא אל הרופא כי אם הובא אל הכוהן שליחה דרחמנא כי הוא ית״ המרפאו לפי מעשיו על ידי משרתיו הכוהנים עלפי תשובות עונו ותיקונו רפא ירפאנו קונו: *In animum ne inducas tuum, casu vel caussa naturali hanc lepram accidere, aut a Medico sanari quod si ita esset, tunc homo Lepra affectus medicum adire debuisset. Ast ad Sacerdotem, summi Numinis Legatum appropinquandum ipsi erat; ipse enim Deus O. M. sanat, secundum opera ejus, per servos suos Sacerdotes, adeo ut pro ratione resipiscentiae & probitatis, certe sanaturus sit aliquem supremus rerum arbiter.* Cum vero optima medicamenta saepius sint irrita, igne vel ferro succurrimus, & quod aliter sanari nequit, vel cauterio adurimus vel ferro amputamus, Lepra quoque, cum externa

occi

occuparet cutem, si nulla succederet sanatio, his remediis tentari poterat. Verum quo successu? plaga quidem ad tempus tolli, homo autem societati civili restitui nequibat, nisi contra Leges patrias agerent Judaei. Quid hoc in casu juris fuerit, optime explicat *Maim.* *L.* I. *C.* X. §. I.
התולש סימני טומאה בין כולן בין מקצתן או
המכבה את המחיה כולה או מקצתה או הקוצץ
הנגע כולו מבשרו או מן הבגד או מן הבית
בין קודם שבא לכהן בין בתוך הסגר או בתוך
החלט אי אחר החלט או אחר מפטור הרי זה
עובר בלא תעשה שנ" השמר פן וגו": *Si quis impuritatis signa omnia vel nonnulla evulserit, aut vivacitatem totam vel ejus partem adusserit, aut totam plagam resecaverit ex carne, vel veste vel domo sua; sive antequam ad sacerdotem accesserit, sive seclusionis aut impuritatis tempore, sive postquam impurus vel purus declaratus esset: Is transgreditur Interdictum Deut.* XXIV. 8. *Cavete &c. &c.* Neque hoc impune transgredi licuit; *Impuritas* enim *legalis* manebat, neque ante admittebatur aeger in societatem civilem, quam probe sanatam fuisse Lepram sacerdoti constaret; qui & de hoc admoneret Leprosum, ut justa sacra faceret, in signum & testimonium nulla humana opera, sed solius Omnipotentis benigna voluntate, gravissimum hunc affectum uti accidisse, ita etiam fuisse sanatum.

RICH. MEAD

IN

PRAEF. AD MEDICA SACRA.

pag. IX.

Dum ſcripta ſacra, ut hominem Chriſtianum decet, frequentius evolvo, ſecundum ea, quae ad vitam aeternam & pietatis praecepta ſpectant, hiſtorias morborum & variarum aegritudinum, quae in illis traduntur, imprimis perpendere ſoleo, has iis conferens, quae aut in libris medicorum aut propria experientia didici. — Et id quidem eo libentius facio, quod animadvertam Theologos (addo etiam Medicos & Philoſophos) ſuper his ſaepe in diverſas ſententias abire.

GODEFR. GUIL. SCHILLINGII,
Med. Doct.

ANIMADVERSIONES IN OUSSELIANAM ET ADDITAMENTA AD SUAM DE LEPRA DISSERTATIONEM.

De duobus Leprae generibus.
Ad §. II. & III.

Cum doctissimus *Ousselius* in secundâ paragrapho dissertationis suae duo Leprae genera constituisset, unum in Corporibus animatis, alterum in rebus inanimatis, credo, me operae pretium facturum, si hanc divisionem plenius & diligentius excussero. Scilicet in meo libello solumCorpus humanum leprae obnoxium & quasi subjectum consideravi. At vero Sacra Scriptura eandem etiam rebus tribuit inanimatis, velut vestibus ac parietibus aedium. Decet igitur Medicum Physicum, utriusque Leprae naturam, quoad fieri potest, utique signa, caussas & discrimina perquirere. Etenim divini Moisis non tantum magna est auctoritas, sed etiam admiranda fuit rerum naturalium peritia, cujus luculentissimum specimen descriptio morbi, de quo agimus, exhibet (*a*). In eâ sane prudentissimus Le-

(*a*) Continetur in Levitici cap. XIII. & XIV.

Legiſlator praecepta, ad diagnoſin leprae non tantum in homine, ſed etiam in corporibus vitâ carentibus apprime facientia, tradit; tantâ quidem accuratione, ut nunquam fallant, modo recte intelligantur; & ut mirum ſit, à nullo unquam Medico recte percepta, & ad uſum artis adhibita fuiſſe. Diagnoſticis Signis cautelas valde ſalutares ſubjunxit, quemadmodum tam immanis lues praecaveri debeat, ne ſaeviſſimum diffunderetur contagium. Quae cum mihi perſuaſiſſima ſint, & ni fallor uſu etiam confirmata, mearum quoque partium eſſe arbitror, quoddam quaſi auctarium Diſſertationis meae in uſum eorum, qui hunc morbum cognoſcere cupiunt, vel ex officio debent, hac opportunitate in publicum edere.

Principio quidem ſtat mihi & manet ſententia: primum & originale genus leprae ponendum eſſe in Corpore humano, alterum vero & ſecundarium in rebus inanimatis: quoniam corpus humanum tamquam fons, in quo lepra ex ſuis cauſſis naſcatur, ex quo deinde ad res inanimatas dimanet, conſiderari debeat; tametſi verum ſit corpora non animata, ſi ſemel ab animatis infecta fuerint, viciſſim in haec transferre virus poſſe. An vero alia animalia praeter humanum genus ipſo veneno contaminentur? hoc neque ex Sacris Litteris, neque ex profanis Scriptoribus, nedum ab experientiâ compertum habemus. Negare tamen non auſim; multoque minus inter ἀδυνατῳ recenſere. Cum enim leproſum Virus inerti parieti & exanimi lanae adhaereſcere queat, non video, quidquam obſtare, quo minus viventium ad corpora accedere, defigi, & creſcere poſſit.

A

An plures Leprae Species in humano corpore existant?

Ad §. V.

Quod ad species leprae humanae attinet, nimia in dividendo subtilitas fugienda est, quippe tot producturas species, quot partes Corporis sunt aut quot leprae symptomata; quo nihil ineptius esse arbitror. Itaque non nisi duas species agnosco, de quibus in §. VI. Dissertationis dixi, quas etiam divus Moyses distincte proposuit & discernere jussit.

Equidem *Ousselius* noster ait: *lepram esse ratione intensionis universalem, vel particularem.* Quum autem homo, cujus in corpore lepra à capite usque ad calcem, *sine exulceratione* (quod bene notandum est) effloruit, non amplius leproso veneno infectus, sed à leprâ sanatus ex lege Mosaicâ haberetur, in congruum est, in eo speciem leprae esse, & omnino universalem affirmare; id quod ipse Auctor in §. XVIII. & seqq. fatetur; sed perperam sic interpretatur, quasi tunc nihil amplius in corpore sanum esset. Imo vero potius omnia tunc in corpore sana & emendata esse, dicendum; quod albedo totius corporis declarat, veluti in casu Naamanis ipsa Sacra Scriptura testatur, quoniam recens nato cutem ejus similem fuisse memorat: Atqui cutis recens editorum etiam Aethiopum alba est. Hic nempe est nodus Gordius, qui plurimos offendit & perplexos fecit, sed facile solvitur, si animadvertamus à Moyse hoc loco veram crisin leprae significari, quando materiâ peccante intra corpus correctâ, & ad externum ejus habitum

propulſâ, nullum contagii diſcrimen ſupereſt. Quo quidem nomine lepra aliis quibusdam morbis exanthematicis comparari poteſt, quibus finitis interdum color à naturali diverſus in cute ad tempus notabile conſpicitur. Sicut ergo Sacra Scriptura illum perfecte ſanatum pronunciat, cujus univerſum corpus à capite ad calcem album eſt: ſic è contrario nondum lepra liberatum, ſed omnino immundum declarat, quamvis dealbatum, qui adhuc plagam aliquam exulceratam gerit. De qua re poſtea plenius dicam.

Neque inanes diviſiones Hebraeorum ſunt audiendae, quibus res ſine neceſſitate multiplicantur, & merae varietates tamquam ſpecies proponuntur. Gradus enim atque ſymptomata ſunt accidentia morbi; quamobrem nec tumor, nec abſceſſus, nec macula in cute vel carne, nec tumor aut macula in aduſtione, ulcereque, neque porrigo capitis ac barbae, neque tumor calvitiei, & recalvatio, ceu diſtinctae ſpecies conſiderari poſſunt. Hinc enim ſequeretur, lepram ſaepe vitium unius tantum partis eſſe ideoque ad lubitum amputari, exſtirpari, & cum corporis affectâ particulâ auferri poſſe. Verum experientia clariſſime docet, virus leproſum per univerſitatem corporis jam diffuſum eſſe, quum exigua ejus ſigna in cute externâ conſpiciuntur. Itaque nec diviſiones illae Rabbinorum, nec tot ſpecies admitti poſſunt. Equidem optandum eſſet, ut talis exiſteret lepra particularis; me hercle, tunc non tam difficilis eſſet curatu. Sed proh dolor! ſecus omnino res eſt. Ut enim in lue venereâ quamquam extrinſecus exiguae ſint notae, & vel una tantum pars oculis patens affecta, tamen omnes humores inquinati exiſtunt; ut in morbo varioloſo etſi puſtulae ſint numero paucae, tamen univerſus ſanguis veneno infec-

fectus eſt: ſic quoque in leprâ res ſe habet. Quantilla corporis pars affecta cernitur, univerſalis morbus eſt, & ſemper idem. Neque alias licet differentias, ac ſpecies vere diſtinctas aſſumere, quam duas illas, de quibus aliquotiés jam commemoravi.

Nihil porro intereſt, utrum lepra ex tumore, an ex puſtulâ, ex ulcere an ex aduſtione primum eruperit, ac ſe in conſpectum dederit; modo genuina ejus ſigna, nempe anaeſthesia, mutatio coloris in rubrum vel album, & maculae paullatim increſcentes obſerventur, quae ejusmodi ſunt, ut ab aliis vulneribus, ulceribus, apoſtematibus & maculis lepram disgregent & pathognomica haberi atque appellari mereantur. Atque ad haec etiam Divinus Legislator animum advertere juſſit eos, quibus exploratio leproſorum commiſſa erat. Neque enim ignorare potuit, quod vitium leprae ſaepe numero occultetur, ſaepe etiam circa partes obſcoenas & tegi ſolitas ſedem habeat; ideoque vel inſcio aegro, vel datâ operâ celante, clanculum creſcat, & jam inveteratum ſit, cum tumoris aut papularum formâ erumpat, & oculis ſe ſe exhibeat. Quam diu macula eſt, facile latet, niſi in facie vel manibus exiſtat. Contra, ſi quid ſupra cutis ſuperficiem elatum ſit, hoc hominem facile offendit, ducitque, ut vel ipſe inſpiciat, vel amicum aliquem aut domeſticum inſpicere ſinat. Etſi talis inaequalitas ſenſu vacat, tamen plerumque moleſtiam facit ob attritum inevitabilem aliasque cauſſas. Dantur certe tumores varii, ex ſe dolorem non moventes, ſed tamen ideo incommodi, quoniam comprimendo ſubjectas & vicinas partes gravantur, & vel inflammant. Cavendum eſt, ne protinus leproſa vitia habeantur & ap-

appellentur. Ad certiorem igitur diagnofin haec monita faciunt: *Macula vere leprofa praeter colorem à nativo diverfum & anaefthefiam hoc maxime agnofcitur, quod fine ullâ inflammatione, fine notabili elevatione, quin potius cum aliquâ depreffione, paulatim dilatatur & crefcit. —— Tumor pariter leprofus absque praeviâ aut comitante inflammatione cutim elevat, coloratus tamen eft, fed caret fenfu omni praeter illum, quem fcabrities, & inaequalitas quaelibet & fimpliciffima verruca inter varios corporis motus producunt.*

Morbi indoles ex nomine hebraico illuftrata.

Ad §. VII — IX.

Non amo verbi velitationem; nec fequar Cl. *Ouffelium* in Grammaticis disquifitionibus, quas magno ftudio & eruditionis apparatu inftituit. Nominum non tam curo difcrimina quam rerum. Vel fic tamen aliquam Etymologiae rationem habendam effe video: fed fufficit nobis confideratio vocabuli צרעת & צרע quae omnem difficultatem circa hujus morbi figna facile folvet: fenfus enim verus hujus vocabuli eft, dejectio virium corporis, & ea conditio, quae actionem vel motum ceffare facit, in homine univerfo, vel in parte aliquâ corporis, in quâ talis macula exiftit. Nam non ita fumi debet, ac fi omnis protinus vis vitae per totum corpus extinguatur, quando unâ alterave maculâ affectum eft, fed fola pars affecta cenferi mortua debet, id eft: Senfus & motus principio quafi privata. Jure igitur meo urgere hinc

hinc mihi videor, jam tempore Moyſis inter ſigna leprae *anaeſtheſiam* non ſolum cognitam, ſed ſatis vulgatam fuiſſe. Nam quod diſertis verbis non fuerit expreſſa, cauſſa in hoc eſt, quoniam nomen ipſum anaeſtheſiam perinde atque indolem morbi notabat, ut Sacerdotes ex ipſa Etymologiâ hoc ſignum perciperent, neque indigerent verboſâ monitione. Cum tamen ſola anaeſtheſia dignoſcendae & ab aliis cutis vitiis diſcernendae leprae non ſufficiat, juſſi ſunt accuſatos accuratius intueri, quin includere, & interjecto definiti temporis ſpatio iterum iterumque explorare, eo maxime conſilio, ut penitius conſtaret, an caetera ſigna, quae ſub oculos cadunt, anaeſtheſiae reſponderent; ne forte aliquis ob unam notam accuſatus, injuſte leproſus haberetur.

Non dubito fore multos, qui mirentur, quod contendam, antiquiſſimis temporibus & vel ante divi Moiſis aevum inter diagnoſtica leprae ſigna anaeſtheſiam fuiſſe habitam, & in vulgus notam. Igitur e re eſſe arbitror, pro confirmandâ hacce ſententiâ, breviter adhuc dicere. Enim vero ex profanis Scriptoribus, quos in meâ Diſſertatione excitavi, evidenter diſcimus, hoc ſymptoma in vetere leprâ conſtanter fuiſſe animadverſum & memoratum. Ex iisdem quoque fontibus deduxi rationem, quare in principio morbi à tot tamque diligentibus Auctoribus non fuerit notatum. Nempe nullam aegri percipiunt moleſtiam, quamdiu ſimplex prodit macula, quam facile pro naevo habent, ideoque nec Medicorum oculis ad obſervandum, neque curae ad ſanandum ſe ſubjiciunt; quae quidem ratio ut nunc valet, ſic olim obtinuit. Adhaec manifeſtum eſt, qui Linguae Hebraicae imperiti, veram verborum ſignificationem ignorabant,

bant, hos nunquam conjecturâ potuisse assequi; quod uno verbo Hebraico vis ac natura morbi fuerit expressa; quid mirum ergo, inter initialia leprae symptomata à veteribus omissam esse illam sensus vacuitatem? Inter recentiores Scriptores multi quidem, & novissime Cl. *Cartheuserus*, anaesthesiae mentionem fecerunt; nec tamen, ut mihi videtur, satis accurate. Dicit enim vir celeberrimus, quem modo nominavi: *Cutem leprosam esse indolentem, si morbus summum gradum & ἀκμὴν attigerit* (*b*). Quasi vero tunc demum sensu privaretur. Scilicet videndi morbi & ad naturam pingendi occasione destitutus, quae ab aliis relata sunt, fideliter retulit: cujusmodi etiam est, quod de leprâ in Insulâ *Madeira* saeviente scripsit: Nempe nodos producere diversâ magnitudine ac duritie, sed dolores etiam pruriginemque excitare; rarius vero & in paucis tantum subjectis doloribus vacare. Verum hoc est; sed ita accipiendum, ut sermonem de leprâ tantum inveterata esse intelligamus, in quâ sensus aliquis molestus per omnem superficiem cutis non potest non excitari, partim ex inaequalitate corporis & pondere nodorum, partim ex diminutâ Sanctorianâ transpiratione. Cum vero ex fide Observatorum ibidem subjungat: *Remittentibus nodis, dolores quoque remittere.* Hoc sane effatum meam opinionem luculenter confirmat. Resolutis enim nodis manent tantummodo maculae. Atque haec ideo attuli, quoniam à nostro Themate non sunt aliena; mihi vero jucundam renovant memoriam colloquiorum eadem super re cum Cel. *Cartheusero* in novissimâ meâ peregrinatione habitorum.

II.

(*b*) Vide opus Cl. viri de Morbis Endemiis pag. 225.

Illud autem admiratione omnino dignum eſt, quod anaeſtheſia tamquam ſignum incipientis leprae, quamquam à Medicis praetervifa fuerit, tamen à rudiſſimis ignorantiſſimisque populis notata & in uſum tracta ſit, & adhuc pro perfectâ exploratione adhibeatur. Aethiopes ſane, non ſolum aetate & uſu provecti, ſed etiam adoleſcentuli & vel pueri, ſimulac maculam in ſodalium quodam conſpiciunt, adhibitâ acu, ferro, vel igne, periclitari ſolent, an talis macula ſenſu praedita ſit nec ne. Si careat ſenſu, lepram eſſe fidenter pronuntiant; neque eos eventum fallere memini. Quae cum ita ſint, non dubito, quin hoc ſignum antiquiſſimis Aegyptiis jam fuerit animadverſum, atque ab his ad Aethiopes per traditionem pervenerit. Sunt enim vicini iſti populi & mutuis miſcentur commerciis; cumque olim Aegyptus litteris artibusque cultiſſima fuiſſet, credere omnino fas eſt, vicinam gentem nonnihil peritiae, praeſertim circa corporis valetudinem & curam, inde traxiſſe. Atqui etiam ex Sacris Bibliis novimus, Moſem in florentiſſimâ Aegypto educatum, omnibusque Doctrinarum, quae magno ſtudio ab Aegyptiis Sacerdotibus colebantur, generibus impertitum fuiſſe. Vero igitur ſimile mihi videtur, hoc quoque ſignum leprae ab iis didiciſſe; ideoque tale morbo nomen feciſſe, quod illud ſignum exprimeret, ut circumſcriptione opus non fuerit. Non enim inanis videtur conjectura, verbum צרע eſſe ex idiomate Aegyptiorum deſumtum, quoniam ejus radix in Hebraicâ linguâ non reperitur, quod linguae hujus amantes valde ſunt mirati. Ipſum ergo nomen, quatenus maculam rubram vel albam, ſenſu carentem notat, ad diagnoſin leprae ducit; attamen ut haec certior, & ab

ab erroribus plane immunis esset, divinus Legislator noluit exploratores. hoc vulgari solo criterio confidere, sed alias notas & cautelas jussit adhibere.

Atque hoc loco considerandum porro est, quemadmodum homines in judicio & discrimine aliorum cutis morborum gerere se solent. Etsi enim quilibet fere variolas, morbillos, alia pervulgata exanthemata agnoscit, tamen Medici consuluntur, tamquam Judices & Censores, ut veram morbi speciem definiant. Sic pariter olim cum leprosis agebatur, quos quamquam vulgaris oculus discerneret, tamen sapientia Legislatoris nolebat tam vago judicio subjectos esse, sed ad sacerdotes, penes quos summa erat rerum tam naturalium, quam moralium peritia, ire vel duci jussit. Sacerdotes autem necessariis instruxit praeceptis, ut non modo confirmatam & inveteratam lepram, quae facillime agnoscitur, sed maxime incipientem rite dignoscerent. Et hujus optimam diagnosin faciunt maculae, rubrae vel albae, indolentes, & paulatim per omnem ambitum crescentes. Quibus notis inter ipsa morbi initia quandoque pilorum mutatio accedit, nec tamen semper. Cum igitur ad pilos etiam attendere Sacerdos explorator jubeatur, forte aliquis rogabit: quid, si puer aut adolescentulus, quorum rari & pertenues pili sunt, de leprâ accusetur, agendum, & pronunciandum sit? Scilicet pilorum, ut dixi, & ciliorum mutatio, inter perpetuas leprae notas haberi non debet, nisi jam valde provectus fuerit morbus; itaque in tali casu macularum color, indolentia & incrementum pro signis erant & adhuc sunt.

At vero incipiens lepra, ut hodie frequenter occultatur, sic olim raro in judicium veniebat.

Ig-

Ignorant aegri malum, aut negligunt, dissimulant, celant; usque dum vehementius urgeat factâ forte alicubi exulceratione. Eo postquam lues pervenit, quid olim? Quilibet tales leprosos agnoscebat; lex tamen eos ad sacerdotem duci jussit; ut hujus effato ad separationem damnarentur. Signa vero inveteratae leprae habebantur caro cruda, aut viva crescens, item papulae & tophi, quibus praesentibus judicium expeditissimum erat; neque inclusio aegri necessaria habebatur.

Jam non amplius obscurum esse potest, cur de principiis morbi mentio nulla à profanis scriptoribus facta sit. Caussae evidentes sunt & variae; levitas initialium macularum; absentia doloris; situs macularum in locis obscoenis, vel latentibus sub vestimentis; ipsa porro ignorantia aegrotantium; tandemque infamia mali, ac gravissima separationis poena.

Atque has ob caussas Divinus Moises adeo diligens fuit in proponendis praeceptionibus & cautelis, ad explorationem mali tam confirmati quam incipientis facientibus; quas etiam magnâ severitate non solum Magistris populi sed omnibus ac singulis Judaeis inculcavit. Non mirum igitur est, quod sublatâ lege Mosaicâ a Judaeorum Rabbinis hodiernis morbi principia non amplius noscantur; sed omnino negligantur & ignorentur.

Nec tantum Hebraei, veteris disciplinae minus curiosi, sed etiam Christiani, primordia pullulantis leprae desuper habent. Quis non irrideat inter nostros Europaeos Medicum, qui maculam indolentem lepram esse pronunciaverit, praesertim; ubi macula occultis locis inhaeret, aeger vero omnibus suis functionibus curandis par est, nullumque incommodum percipiens, aegrum se es-

ſe negat? Quis porro Medicus tam forti eſt animo, qui famam ſuam in tali judicio periclitari velit? An ergo mirum eſt, Medicos hoc titulo nimium vel indulgentes vel timidos fuiſſe, atque adhuc eſſe? Malunt ſcilicet tum Medici, tum aegri fortunae rem committere, quam famae periculum ſubire. Sic ſenſim paulatimque altius ſerpit venenum. Et ſi jam eo provectum eſt, ut diſſimulari amplius nequeat, tamen major pars leproſorum nondum ſunt Medico morigeri; alii de ſalute recuperandâ deſperant; alii non poſſunt, alii nolunt neceſſarios facere ſumtus; alii tarditatem curae metuunt; nonnulli ſuae ſortis conſcii, melius ſibi conſulere ſe putant, ſi malum celent, quam ſi incertae Medicorum fidei & curae ſemet committant, ideoque omnia remedia reſpuunt. Ipſo ſaepe Medicos metus contagii in morbo valde provecto negligentes & puſillanimes facit; avocat etiam à curationis aleâ difficultas medendi, cu eventus tanto incertior, quanto magis altas radices morbus jam egit. Ita fit, ut major leproſorum numerus incurabilis, ut olim fuerit, ſic hodie maneat. Et pauciſſimi certe à dirâ hac lue liberarentur, niſi naturae medicatricis bonitas, vel potius Dei O. M. clementia proſpexiſſet humani generi. Exempla leproſorum per miraculum, ce te absque artis auxilio ſanatorum Sacrae Hiſtoria nobis exhibent. Ex quibus Rabbini metaphoricam quâ utuntur, denominationem ſumſerunt. Nam verbum צרעת anguſtiam malam ſignificat, m netque in rebus] adeo ſuſpicioſis & calamito ſis à ſolo Numine opem ac ſalutem ſupplicand poſcendam & exſpectandam. Quid enim quae anguſtius eſſe, aut hominem vehementius ange poteſt, quam civium ſuorum coetu excludi, e

u

tra societatem vivere solum, ab omnibus contemni, ab amicis, propinquis, ab ipsis parentibus, à fratribus sororibusque deseri, qui quippe omnes prae metu contagii saepe fugiunt? Quid miserius, quam sera neglectorum morbi principiorum poenitentia, & extincta spes omnis sanationis, & sublatum, quod Medicina dare potest, solatium, quando Medici ipsi non amplius audent vel promittere aliquid, vel suscipere? In his angustiis, quid naturae humanae convenientius, quid animâ rationali dignius est, quam ad Deum confugere, & humillimas preces fundere, pro impetrando malorum intolerabilium alterutro fine?

Nec tantum in Sacris Litteris, sed etiam apud profanos scriptores, nonnulla sanatae leprae exempla memorantur (*c*), quorum descriptionem si cogitatius exigamus ac reputemus, apertum fit, per autocratiam naturae potius, quam artis auxilio aut Medicorum operâ homines fuisse liberatos. Quamquam igitur haec exempla parum ad morbi therapiam faciant, tamen hactenus prosunt, ut declarent, sanationem leprae non omnino impossibilem esse, quin imo curam rite institutam ex voto interdum succedere, modo Medicus & aeger suas singuli partes debite agant; Medicus quidem diligentiam in adornandâ, constantiam in prosequendâ curatione adhibeat; aeger vero patientem se, non impatientem praebeat, neque animum despondeat, si non statim expectationi respondeat eventus.

Antequam hunc locum, in quam Hebraica nomen-

(*c*) Conf. *Galenus* & caeteri Auctores, quos in Not. ad Diss. excitavi.

menclatura me perduxit, relinquam, monere ad
huc debeo, Rabbinorum traditioni circa ethy
mologiam non esse operae pretium inhaerere
quippe quae mera est logodaedalia. Saepissime
enim nubem pro Junone salutant & amplectun
tur, quandoquidem genuinam primaevi sermoni
pronunciationem ipsi amiserunt, multoque magi
rectam verborum significationem, unde fit, ut po
tissimum soloecismis cavillationibusque studeant
quod in hoc morbo prae aliis ad nauseam usqu
faciunt. Mirum ergo non est, quod illi non tan
tum lucis ex operosâ verborum venatione hause
rint, quantum nos ex uno nomine cum veris mor
bi notis collato. Huc porro multum attulit, quo
lepra in nonnullis regionibus plane incognita fue
rit, adeo, ut vix ipsi Medici intelligere potuis
sent, praecipuam morbi atrocis vim, & patho
gnomicum signum, uno vocabulo expressa esse
Et sane nulla est inter linguas mihi cognitas, qua
tam aptum leprae nomen, tamque congruum fec
rit, quam quidem Hebraica. Namque Graeco
rum nomen λεπρα nonnisi squamam significat,
à quadam cum piscibus similitudine tractum e
Quis autem ex squamâ anaesthaesiam? quis mut
tum cutis colorem derivet? Ne jam memorem ali
bene multos morbos, qui cutem squamis obdu
cunt à leprâ distantes. Graecos Latini secuti su
aliaeque Gentes, quae suum à Romanis idioma d
duxerunt. Germanorum aussatz latissimam signi
cationem habet, & fere Ecthymati Graecoru
respondet. Iidem vero, cum cutis mutationem
& à colore statuque naturali degnerationem voc
bulo flecken i. e maculae seu conspurcationis e
primant, iterum appellativo nomine utuntur, qu
pluribus cutaneis morbis convenit, neque vera

leprae proprietatem ſignat. Mitto alia exempla. Ex dictis enim abunde conſtat, veram morbi ideam, quam primordiale nomen exprimit, partim ex ignorantiâ Linguae Hebraicae, partim ex raritate morbi, partim ex neglectâ obſervatione perditam fuiſſe: & hinc factum eſſe, ut manca & indefinita morbi deſcriptio manſerit; ut principia neglecta, & jam explicatae leprae diſcrimina ab aliis externi habitus vitiis male notata, omniaque indigeſta & obſcura ſint, quae à plerisque ſcriptoribus de leproſâ lue tradita fuerunt.

Cautelae inſignis aeſtimandis & dijudicanda lepra obſervandae.

Ad §. X – XVII.

De variis leprae ſignis jam ſatis me dixiſſe putem, ut fere pigeat, ad hunc locum redire; nec ſane denuo eum attingerem, niſi obſcuritates quaedam & inanitates removendae adhuc eſſent. Repeto igitur quod jam dixi, maculam rubram albamve cum plenâ anaeſthaeſiâ paulatim in omnem ambitum creſcentem, conſtituere notam praecipuam leprae prodeuntis; caeterum nihil intereſſe, macula talis exiſtat in planâ & integra cute, an in vulnere, aut ulcere, aut ambuſtione, aut tumore, aut abſceſſu, aut papulâ quadâm. Sunt enim multae admodum varietates; & poſſunt melius oculis diſcerni, quam verbis deſcribi; ſed ad eſſentiam morbi non pertinent. Quum autem quotidie in aliquos leproſos incido, magis magisque veram cauſſam perſpicere mihi videor, cur bonis Rabbinis in Hiſtoriâ hujus morbi confidere non poſſimus, quorum plurimi fortaſſe numquam mor-

bum viderunt, & tamen permulta de genere, Naturâ, & signis ejus memoriae prodiderunt. Unde confusio & discordia, & fallaciae non potuerunt non emanare; id quod cuilibet hanc *Ousselianae* Dissertationis particulam perlegenti manifestum est. Unum sufficit illustrationis caussâ exemplum & illud quidem ipsum, quod Cl. *Ousselius* ex *Karaeo Elia* in §. X. adduxit. Verba ex Hebraico Idiomate in Latinum versa haec sunt. L. II. C. XIV. *Macula est lepra levior; pura enim erit, si non diffuderit se se: Abscessus impuritate gravior, magis enim est inveteratum malum macula. Tumor sive pustula adhuc magis inveteratum malum est prae abscessu; attollitur enim & intumescit ob majorem humorum crassiorum copiam.* Quis non animadvertit bonum *Eliam* nullam unquam leprosi spectandi occasionem habuisse, & per conjecturam non ex observatione haec scripsisse?

Alia quidem signa in leprae progressu prodeunt; sed non semper inter initia mali apparent; velut *pilorum mutationes*, de quibus jam in antecedentibus dixi. Pueris enim deest barba, & nuda sunt pudenda impuberum, nihilominus hâc lue interdum laborant; omninoque quoties maculas albas vel rubras indolentes & sensim increscentes alicubi gerunt, pro infectis habendi sunt. —— Sed alia adhuc est circa pilos observatio. Nempe si forte lepra in parte cutis, quae pilos jam habet, prorumpat, sollicite omnino ad eas attendendum est; Etenim pili non modo ex humorum influentium vel pravitate vel defectu facillime mutantur, tenuesque & albi evadunt; sed etiam saepenumero defluunt; neque hoc tantum candidissimis Europaeis accidit, sed etiam in Aethiopibus fieri experientia docet. Praeprimis loca sub axil-

lis & pudenda oportet inſpici. Nec tamen Rabbinorum ſubtilitas in hoc ſcrutinio neceſſaria eſt, quae rem non difficilem vanâ operoſitate gravat oneratque.

De *profundiori plagae aſpectu*, tamquam leprae ſigno, jam eſt difficilius judicium, praeſertim ob incipientis maculae parvitatem. Haec enim niſi ad notabilem magnitudinem increverit, oculus decipi poteſt, niſi quotidianâ leproſorum inſpectione diu exercitatus, & longo uſu peritus fuerit. Poſtquam autem diffuſa eſt macula, reverâ hoc ſignum ad certiorem promtioremque diagnoſin facit, ideoque non eſt negligendum. Si Rabbinos de aſpectu leproſorum ſermocinantes conſulamus, iterum iterumque docemur, eos numquam leproſos vidiſſe. Fatigant ſe conjectando; nec tamen rem aſſequuntur, quam quippe ſola autopſia declarat. Albedinem operoſe deſcribunt, neutiquam vero ad naturam exprimunt. Accedit proxime ad calcis colorem, quem in parietibus videmus, quando alicubi aliquam corruptionem paſſi ſunt; & ex hoc obſoleto candore aſpectus naſcitur profundior. Melius autem oculis noſtris color ruber leprae in Aethiopibus patet, & facilius diſtinguitur, quam albus in albis corporibus.

Diffuſionis ſignum, quod majoris eſt momenti, paullo latius exponere lubet. Quum lepra primum erumpit, macula raro ſuperat magnitudine acus puncturam; ideoque facile praetervidetur, & exploratorem fugit: quoniam inter initia plerumque ſingularis eſt. Rariſſime enim, ſi unquam plures ſimul prodeunt. Poſtquam vero ad lentis magnitudinem increvit, conſpiciendam quidem ſe praebet; ſed pro naevo materno, aut lentigine facile habetur. Nec ſane ſcrutinium difficultate ca-

ret, praesertim si non liceat acum, ferrum, aut ignem maculae adhibere. Atqui tale peremtorium examen Europaei recusant, multoque magis seclusionem, abutentes libertate quâ gaudent; Aethiopes vero quamquam sub potestate Dominorum sint, & ad explorationem subeundam cogi queant, tamen aegre à ceteris servis separari possunt. Igitur difficile & incertum est in hoc morbi statu judicium, & pronunciatio, usque dum macula ad fabae magnitudinem pervenerit, differenda. Certum tamen tempus ex auctoritate Moysis praestituere non ausim. Sumatur aliquot hebdomadum spatium, & interea si fieri possit, suspectus de leprâ homo segregetur. Evenit nonnunquam, ut macula ad tempus notabile immutata subsistat, nec dilatetur; siquidem incrementum pro variâ vitae ratione velox vel tardum est. Si ergo perstiterit, oportet judicium suspendi, nec certo pronunciari. Quo autem cumque modo incrementum fiat, sive in latitudinem, sive in longitudinem, sive in omnem ambitum, nihil interest, &, meo quidem judicio aequam diagnoseos vim habet. Ut plurimum quidem ad figuram circuli vel orbis accedit; sed tamen subinde aliquantum ab hac deflectit, & in longitudinem, aut oblique diffunditur.

Vivacitatem Cl. *Oufselius* quartum leprae signum habet, sed nisi omnia me fallunt, egregie fallitur, coecâ erga Rabbinos reverentiâ ductus, horumque conjecturis, quod probe notandum, deceptus: patebit enim ex sequentibus, carnem vivam non esse pro carne sanâ habendam, utique non in leprâ, nescio an jure in aliis morbis Quoniam autem haec vivacitas phaenomenon magni momenti est, non possum, quin aliquanto plenius de eâ disse-

ſeram; praeſertim quia in Diſſertatione meâ brevitatis ſtudioſus, de hoc Symptomate vix commemoravi. Equidem jam aliquoties adnotatum à nobis eſt, lepram vel ex malo pudore vel ex ignorantiâ laborantium occultari; ſic clanculum invaleſcere & inveteraſcere: neglectis enim morbi principiis diffunditur miasma. Tunc quaſi ſubito, & vel unâ nocte paſſim veſiculae albae erumpunt, & ſaepiſſime quidem apices digitorum in manibus pedibusque aggrediuntur. Hae veſiculae brevi etiam vertuntur in ulcera, apoſtemata, vel tubercula; quae omnia initio benignam ſpeciem habent, pus etiam laudabile ſubinde fundunt, elapſis vero aliquot diebus, alia rerum facies oritur, praeſertim ſi medicamentis externis ſollicitentur. Tunc enim caro in iis luxuriat; ſanguis ad leviſſimum tactum effluit; ſine ullo dolore fiunt oſſa in phalangibus digitorum carioſa, nec tragoedia prius clauditur, quam oſſa ſponte lapſa ſunt, & cicatrices inductae. Talia ulcera ſi ad partes carnoſas & muſculoſas naſcantur, more phagedaenicorum ſerpunt roduntque, nullos tamen dolores, quod mirabile eſt, excitant. Serpunt autem magis in longum & latum, quam in profundum, neque tamen aream maculae transgrediuntur. In phalanges vero ſic graſſantur, ut ſemper primam articulationem extrudant. Haec Tragoedia in uno plerumque digito luditur; quo confecto, alterius veniunt vices, quas inſtare praecurrens in eo macula ſaepe ſignificat.

Quae cum ita ſint, perſpicuum eſſe puto, Moyſem, ubi de carne vivâ loquitur, non cutem intelligere ſanam, ſed ulcus in cute maculis leproſis conſpurcatâ, ac in hoc ulcere natam carnem, quae vivae ac ſanae praeberet ſpeciem. Hujusmo-

modi caro ſimilis illi eſt, quam à lanione recenter mactatam & adhuc ſanguine commaculatam emere ſolemus. Differt omnino, & multum diſtat à carne luxuriante, quam in aliis obſervamus vulneribus ulceribusve. Notae diſtinctionis ſunt: quod caro viva non modo in latitudinem, ſed & in altitudinem, deorſum aeque ac ſurſum creſcat; quod etiam omnia maculae latera ſine ullo dolore depaſcantur, usque dum tota pars conſumta ſit; quod Cathaereticis inhiberi nequeat; quod pili, ſi qui ad partem affectam ſint, maneant albi; quod parvulum punctum in ulcere caeteris partibus candidius conſpiciatur; quod denique absque vehementiſſimis cauſticis vix ſenſus aliquis excitetur. Quae quidem ejusmodi ſunt, ut raro in aliis vulneribus vel ulceribus obſerventur, quamvis cacoëthica ſint & mali moris. Cancer enim vel carcinoma dolores vehementiſſimos parit, imprimis quando cum ſepticis tractatur. Talis igitur leprae conditio ſi jam exiſtat, intelligitur facile, cur Divinus Moyſes operoſam diſquiſitionem multoque magis ſecluſionem, non neceſſariam eſſe judicaverit, ſed praeceperit, ut Sacerdotes, absque cunctatione lepram eſſe pronuncient, malum quippe jam inveteratum.

Judaeorum Magiſtri graviter profecto errant, quando carnem vivam, ex voce בשר היהוא הבשר המרב יש: argumentantes, pro carne ſenſu praedita ac ſanâ habent. Hinc etiam noſter *Ouſſelius* cum ſuis Rabbinis, & nonnullis quoque Chriſtianis Scriptoribus, perverſum de hâc carnis vivacitate judicium tulit, quaſi vero facultatem ſentiendi indicaret. Memoratum enim vocabulum allegoriam complectitur, & ex quadam ſimilitudine tractum eſt. Scilicet ſpecies eſt, qualis in car-

carne victimae vel hostiae recens mactatae, cujus carnem crudam sive vivam appellamus, quia recens est; nemo tamen sibi persuaserit hanc adhuc sensu praeditam esse. Adhaec caro viva leprae haud est absimilis carni luxurianti in vulnere vel ulcere aliquo ordinario; quam nullus Medicorum aut Chirurgorum pro carne sanâ habet, sed ex communi sermonis more viva vel cruda vocatur; & tamquam inutilis ac superflua, causticis septicisque aufertur; quod ubi fit, non certe notabilem monstrat sensum, sed analgesiam habet, nisi septica terminos transgrediantur ac partes sanas attingant rodantque. Mala igitur est rationis conclusio, quod non vivit, hoc crescere non posse. Atque sic ex ipsa vocis Hebraicae vi, cum indolem hujus symptomatis explanatam dederim, dubitari non amplius posse puto, quin anaesthesia, quae jam in primo leprae stadio se manifestare solet, etiam tunc adesse debeat, quando malum inveteravit ac ulcera in carne produxit.

Hoc loco non possum observationem quandam, quae cautelam practicam complectitur, praetermittere. Aliquoties scilicet animadverti nec sine admiratione: lepram exulceratam cum cutis in toto ambitu maculae seu tumoris consumta esset, sponte fuisse consolidatam, plerumque sine ullâ adhibitâ medela. Quod ubi fit, facile spes sanationis concipitur; sed fallax signum est, decipiturque egregie, qui morbi caussam sublatam esse sibi persuadet. Etenim paulo post aliae maculae prodeunt, quae pariter exulcerantur. Haec scilicet est mali inveterati indoles, quod Graeci lepram inveteratam appellaverunt, si per maculas, squamas, & ulcerationes variat; sin vero tuberculis versicoloribus insignitur, Elephantiasin.

Quae

Quae paullo ante de leprosorum ulceribus proposui, confirmantur per eas observationes, quas Cl. *Ousselius* in §. XV. explicuit, quamquam ejus effatis non possim ex toto assentiri. Certum scilicet est, in cicatrice post solidatum vulnus vel ulcus superstite, indolem leprae haud raro manere. Hinc non potuit apud Judaeos non accidere, ut talia ulcera vulneraque neglecta spontaneam cicatricem conciperent, & clauderentur, relictis tamen maculis, ob quas postea in suspicionem leprae non immerito venientes examen subire debebant; quo facto, increscens maculosa cicatrix facile lepram latentem declarabat. Enimvero in vulgus notum est, vulnera atque ulcera plerumque post sanationem relinquere maculam diversicolorem, sed haec progressu temporis minuitur, & paulatim evanescit, neque ullum sumit incrementum, si in corpore ceterum sano existat.

Hac occasione meum postulat officium, ut moneam advenas, ne si forte Surinami aut in alia Americae regione maculas per Aethiopum corpora sparsas conspiciant, lepram esse pronuncient. Ejusmodi enim maculae sunt saepenumero cicatrices, à vulneribus vel ulceribus sanatis relictae, & in his corporibus perennantes, & facile à maculis leprosis distinguuntur, eo, quod nullum sumant incrementum.

Portentum vero est, quod sapientes Hebraeorum pepererunt, quodque *Ousselius* adoptavit, affirmantes, *ex igne laesos numquam à leprâ corripi posse, in locis adustis*, quamdiu inde pus vel ichor feratur; posse omnino post sanationem. Quâ auctoritate, quove jure, hanc rem affirmare audeant, reperire non potui, sed a veritate alienam esse, certus

scio

ſcio & oſtendam. Nunc autem, quoniam de leprâ in loco aduſto interdum erumpente ſermo eſt, notari etiam debet error, quem doctiſſimus vir in verſione ſacri Textus huc pertinentis commiſit. Agitur de eo, quod Divinus Legislator ſcripſit in C. XIII. Lev. vſ. 24. quem locum noſter ſic interpretatur: *Item caro cum fuerit in cute ejus aduſtio ignis, ſi erit pars ſanata ab illa aduſtione, papula alba ſubrubida, aut alba tantum* &c. Lectorem rogatum volo, ut evolvat conſulatque probatas omnes verſiones, nullam inveniet huic interpretationi conſonantem (*d*). Neque res eſt nullius momenti. Mihi locus Moyſis ſic reddendus videtur: *ſi cujus in corpore cutis ambuſta fuerit igne, & aduſtionis viva caro*

(*d*) *Lutheri* Verſ. Germ. Wenn ſich jemand an der haut am feuer brennet / und das brandmahl röthlich oder weis iſt.

De Duitſche Staaten Bybel: *ofte wanneer in het vel des vleeſches een vyerige brand-ſal geweeſt ſyn; en het geſonde van dien brand eene witte roodachtige ofte witte blaare is.* Neque ab hac interpretatione receſſerunt viri docti, qui Orthographiam Belgicam emendare conati ſunt, in eleganti S. Bibliorum Editione An. 1762. ſed in ſubnexis notis monent: *het gezonde van den brand*, ab Hebraeis vocari: *de levendigheid of de geſondheid des brands*; intelligi autem debere: *het deel van het vleeſch, dat van den brand geneeſen, en weder geſond geworden is.* Quae paraphraſis ad mentem ac ſententiam *Ouſſelii* congruere videtur.

Franco-Gallica verſio ſic habet: *Que ſi la Chair a dans ſa peau une inflammation de feu, & que la Chair vive de la peau enflammée ſoit un bouton blanc rouſſatre ou blanc ſeulement.*

Caſtelli latina interpretatio eſt: *ſi cujus corporis cutis ambuſta fuerit igne, & aduſtionis viva caro maculam albo-rubicantem aut albam habeat.*

In vulgatâ Bibliorum Latina verſione legitur: Caro autem & cutis, quam ignis exuſſerit, & ſanata albam ſive rufam habeat cicatricem conſiderabit eam Sacerdos, & ea eſt verſa in alborem, & locus ejus reliquâ cute eſt humilior, contaminabit eum, quae plaga leprae in cicatrice orta eſt.

ro maculam ex albo rufescentem, aut mere albam habeat vs. 25. si porro animadvertat Sacerdos in maculâ colorem pilorum in album mutatum, & cutis superficiem esse depressiorem, lepram in ambusto florescentem & hominem pollutum pronuntiet; leprae enim morbus est: sin viderit in maculâ pilos non albere, nec cutem infra libellam subsedisse, sed obscuram tantum esse, tunc hominem per septem dies includat. Quod si septimo die animadvertat Sacerdos, per cutem maculam crevisse, pollutum judicet, leprae enim morbus est. Sin macula sibi aequalis manserit, neque latius per cutem creverit, sed obscurior contractiorve facta sit, pro adustionis tumore habeat, & hominem munaum pronunciet; nam ambusti loci cicatrix est. Quisquis verba Sacri Auctoris attento animo perlegit atque expendit, facile perspicere potest, quod *Ousseliana* explicatio, non tantum à sensu Sacrae Scripturae, sed etiam à probatiorum Interpretum mente magno intervallo distet. Nam Cl. *Ousselius* putat, sermonem modo esse de parte post adustionem sanatâ, in quâ deinde macula subrubra aut alba spectatur. Caeteri tantum non omnes Interpretes, & recte quidem, generalius rem exprimunt, ut scilicet intelligatur: sive pars adusta fuerit sanata & cicatrice obducta, sive nondum sanata, sed pus adhuc fundat, modo maculam subrubram vel albam oculis offerat, explorationem necessariam & lege jussam esse; atque macula si incresceret, vel pili albi in eâ conspicerentur, malum pro leprâ esset habendum. Sin vero macula non augeatur, nec pili mutentur, pro mera cicatrice post sanatam adustionem superstite declarandum. Videtur quidem primo intuitu dubium; sermo sit de ambusto corporis loco penitus clauso an adhuc aperto, de perfecta cicatrice an nondum

dum ſolidata. Sed haec difficultas facile ſolvitur, modo veram Sacrae Scripturae mentem accurate ſcrutemur; & ſimul phaenomena, in ambuſtionum curatione quotidie obvia, reputemus. Nemini enim ignotum eſſe poteſt, cicatrices in locis igne aduſtis relictas, per longum tempus remanere, & quidem ſi ſuperficies ſola cutis affecta fuerit, macularum rubrarum ſpecie, ſin vero in profundiores & muſculoſas partes ignis penetraverit, albo colore. Jam vero hujusmodi cicatrices magnam primo aſpectu habent cum leproſis ſimilitudinem. Quare ex ſolo incremento diſcrimen peti certumque judicium fieri poteſt.

Caeterum veroſimile eſt, aliquando fieri, ſi nempe virus leprae diu in corpore latuerit, hujusque pars caſu aliquo ab igne aduratur, ut haec pars ob illam veterem humorum corruptionem curari ac conſolidari ſe non patiatur; quin potius maculis vel papulis, vel carne luxuriante deturpetur, atque his ſymptomatis aeque ac pilorum mutatione lepram intus latentem manifeſtet.

Aliud inſuper phaenomenon, quod in ambuſtis leproſorum corporum partibus videre mihi aliquoties contigit, à Divo Moiſe in eo, quem tractamus, loco fuiſſe indigitatum conjicio. Scilicet cum pars cutis non affecta forte comburitur, caro inter medendum facile luxuriat, modo pallet, modo cruenta cernitur; eadem optimis reſiſtit medicamentis, adverſus ambuſtionem in corpore ſano adhiberi ſolitis; ſibi vero relicta nonnunquam citius omni exſpectatione conſolidatur; poſtquam clauſa eſt, protinus maculam magis creſcere videmus, quam dum aperta erat. Unde certum latentis veneni indicium habetur. Hic vero modus non facile intelligi poteſt, niſi propriis ſenſibus

bus rem percipere nobis liceat, quoniam carnem luxuriantem in aliis etiam aduſtionibus obſervamus, quae tamen ſepticis facile cedit.

Quae qui ſecum reputat, abunde jam perſpiciet, cur portentum & commentum Judaeorum paullo ante vocaverim, quod affirmant: membra corporis aduſtione vel ulcere foeda, quamdiu in hoc morboſo manent ſtatu, leprae non eſſe ſubjecta.

Supereſt unum adhuc phaenomenon, quod quoniam cum aduſtionis effectu ſimilitudinem quamdam habet, hoc loco commemorari & expendi à nobis debet. Vocari poteſt *lepra ſub aduſtionis ſpecie latens.* Saepius enim mihi occurrunt leproſi, qui hoc corporis vitium veſtimentis tectum celant. His interdum praeter omnem exſpectationem ſubito, certe intra unius noctis ſpatium, exiles & indolentes veſiculae in variis partibus, praecipue in facie & digitis manuum pedumve exoriuntur. Dixeris, eſſe veſiculas ab aduſtione per tertium ignis gradum factas. Aegri neſciunt, vel potius ſe neſcire ſimulant, qua vi excitatae ſint. Accuſant ignem. Vocatur Chirurgus, qui artis ſuae auxiliis fruſtra tentatis, relinquit plerumque aegros, quales offenderat. Si emunctae naris ſit, forte ſubolfacit lepram, quae non diu poſt magno plerumque impetu prodit. Hujusmodi ſimulata aduſtio, minus fallere poteſt in hominibus, qui nudo corpore incedunt, ideoque facilius à Medicis Chirurgisque diſcernitur, & à ſimplici aduſtione diſtinguitur, quoniam plerumque maculae leproſae, in aliis etiam partibus corporis conſpiciuntur. At vero, qui noviſſime ex Europâ advenerunt, cum hujus ſimulationis ignari ſint, frequenter decipiuntur. Subit mirari illam ſimilitu-

di-

dinem, quae revera inter aduſtionem vi ignis factam, & eam, quae ex viru leproſo proficiſcitur, intercedit; nec poſſum, quin credam, ſubinde ſpeciem unam pro alterâ ſumi.

De extenſione, gradibus & criſi leprae.

Ad §. XVIII.

De pollutionis leproſae menſurâ & gradibus, magna mihi eſt contentio cum noſtro Auctore. Cum enim affirmet, & ipſis ex ſacris Litteris deducere conetur, quo gravior leprae morbus ſit, eo minus impuritatis legi leproſos fuiſſe obnoxios, non ſatis mirari poſſum judicii praecipitationem. Nam quod aſſumit, idem fere eſt, ac ſi diceret: quo quis gravius leprâ laboret, hoc minus pollutum eſſe. Haec autem manifeſte pugnant; quamquam fateor, inter gradum impuritatis leproſae, & ſervitutem vel poenam ex lege impuritatis ſtatutam aliquod poſſe diſcrimen fingi. Sed audiamus Divinum Legislatorem, cujus verba ipſe *Ouſeelius* ſic interpretatur: Lev. C. XIII. vſ. 12. *Quod ſi omnino effloreſcit illa lepra in cute ejus, retegetque illa lepra cutem totam plaga affecta, à capite usque ad pedes ejus, quocunque inſpicient oculi ſacerdotis; ſi viderit ſacerdos, quod eum texit lepra illa, totam carnem ejus, tum mundum declarabit ille affectum, tota mutata eſt in album, mundus igitur eſt.* Neque ab hac interpretatione diſſentiunt aliae verſiones, quarum nonnullas illuſtrationis ergo in notâ ſubnexâ exhibeo (*e*). Et ſane veriſſimum eſt effatum:

(*e*) *Lutherus* ſic vertit: Wann aber der auſſatz blühet in der haut / und bedeket die gantze haut von dem haupt an bis

tum: nec tantum ob auctoritatem Moiſis, quae ſumma eſt, nobis perſuaſiſſimum, ſed etiam ab experientia comprobatum. Sed perperam inde noſter rationem ſic concludit, ut aſſerat: Univerſalem lepram, quae totum corpus à capite ad calcem tegit, & maximum inquinationis gradum conſtituit, legi impuritatis non fuiſſe ſubjectam. Hujus aſſerti contrarium ſimul eluceſcit, atque illam conditionem morbi, quam Textus Sacer deſignat, cogitatius expendimus: nimirum eſt ipſa, quam Medici vocant, κρισις, adeoque non ἀκμη ſeu ſtatus morbi proprie dictus, ſed ſalutaris exitus. Itaque non indicat gravitatem morbi, nedum majorem impuritatem, ſed plenam ſolutionem, atque hominis ab atroci malo liberationem. Nam cum in omni criſi, quae ad ſalutem fit, materia pec-
cam

auf die fuſſen zu / alles was dem Prieſter vor augen ſeyn mag. & vſ. 13. Wann dann der Prieſter beſiehet und findet das de aufſatz das gantze fleiſch bedecket hat / ſoll er denſelben rein ur theilen / die weil es alles in weis verwandelt iſt; dann er i rein.

Addamus nexus cauſſa vſ. 14. & 15. Iſt aber rohe fleiſ da / des Tages / wann er beſehen wird; ſo iſt er unrein: u wann der Prieſter das rohe fleiſch beſiehet / ſoll er ihn unre urtheilen: dann er iſt unrein / und es iſt gewis auſſatz.

In genuina verſione Belgica (vulgo de Staaten-Bybel) redditur: *Ende zo de Melaatsheid in 't vel ganſchelyk uitb te en de Melaatsheid het geheele vel van die geene, die de pla heeft, van ſyn hoofd tot ſyne voeten bedekt heeft naar al 't g ſichte van d'oogen des Prieſters; ende de Prieſter merken zal, ſiet de Melaatsheid heeft ſyn geheele vleeſch bedekt, ſoo ſal hem, die de plage heeft, rein verklaaren; ſy is geheel in verandeid; hy is rein —— Maer ten welken dage levendi vleeſch daar in geſien zal worden, ſal hy onrein zyn —— dan de Prieſter dat levendigh vleeſch geſien ſal hebben, ſal hem onrein verklaren. Dat levendigh vleeſch is onrein; het Melaetsheyt.*

cans correcta eliminatur: ſic etiam in hâc lue, ſi leproſa acritas penitus ſubacta & expulſa eſt, quamquam univerſa cutis adhuc furfuribus ac ſquamis tegatur, modo caeterum integra ſit, neque ullâ in parte amplius ſuppurationem aut carnem vivam exhibeat, finitum eſſe morbum dicemus. Hinc etiam Divinus Legislator ſtatim haec verba ſubjungit: vſ. 14. *Sed cum in eo apparebit caro viva, impurus.* & vſ. 15. *Viſaque ſacerdos carne vivâ impurum pronunciabit, caro viva impura eſt, lepra eſt.* Quae quidem verba, cum prioribus collata clariſſime docent, quod Moyſes univerſum corpus, cruſtulis leproſis tectum, non amplius leprâ laborare judicaverit, niſi vera leprae exulceratae ſigna hinc inde ſuperſint. Haec *Ouſoelius* noſter praetermiſit, aut noluit videre, quippe ſuis propoſitionibus contraria. Quamdiu igitur vel minima pars cutis adhuc erat aperta, ut ichoris aliquid funderet, aut carnem vivam exhiberet, tamdiu homo impurus cenſebatur, quippe propagando adhuc contagio aptus. Poſtquam vero cuncta ulcuſcula erant ſanata, & carnes vivae evanuerant, cutis denique univerſa quaſi reparata erat & undiquaque coagmentata, licet albis adhuc ſquamis & cicatricibus obſita ſpeciem univerſalis leprae imperitis oculis exhiberet: mundus homo ex lege pronunciabatur; id quod etiam plenius cognoſcitur ex vſ. 16 & 17. (*).

Ita-

(*) *Als dat levendig Vleeſch verkeerd en in wit verandert zal worden, ſoo ſal hy tot den Prieſter komen; als de Prieſter hem bezien zal hebben, dat, ſiet, de plage in wit verandert is: ſoo ſal de Prieſter hem die de plage heeft, reyn verklaren; hy is reyn.*

Conferri omnino debet verſio Belgica ex Anglico Idiomate cura ven. *van den Honert* edita ob animadverſionem ſapientis Commentatoris his verbis conceptam: *Wanneer de verſweving*

Itaque in opere critico, quod medicatrix natura ſubinde etiam in leproſis ſuſcipit & perpetrat, varios oportet gradus & periodos notari. Quo magis venenum à penetralibus corporis & vitalibus verſus externum habitum vertitur, eo major ſanationis ſpes affulget. Sic lepra quaſi univerſalis efflorefcit, ſed viſcera magis magisque liberantur; redit animi alacritas; creſcunt vires corporis, coctrix, expultrix, retentrix; reſidua in humoribus ſpicula leprae paulatim omnia ſecernuntur & ad organum cutaneum amandantur, in quo dum adhuc haerent, tubercula, ulcera, carnes crudas faciunt; perſeverat hic ſalutaris motus à centro ad peripheriam directus, praeſertim ſi aegri legibus diaeteticis conſtanti animo obtemperent; ſic tandem eo felicitatis perveniunt, ut poſt plenam humorum depurationem cutis per omnem ambitum conſolidetur; quo facto morbus pleniſſime ſolutus, & homo in ſanitatem reſtitutus haberi debet; tametſi epidermis conſiſtentiam ſuam & firmitatem, & aequabilitatem, & nitorem nondum conſecuta ſit; ideoque externa leprae ſpecies adhuc maneat.

Ab hoc loco diſcedere non poſſum, quin moneam, male *Maimonidem* aliosque Judaeos, quibus noſter *Ouſeelius* aſſentitur, partes quasdam corporis, leprae non obnoxias adſumere; & quidem ſecundum codicem *Negaim Miſchnae* Cap. 6. ſequente

ring zig op een enkelde plaats vertoonde, was het een blyk van de kwade geſteldheyt, die zig binnen verſcholen hield, en van de onmagt der Nature om dat kwaad uit te dryven; maar wanneer het geheele Lichaam daarmede bedekt was, toonde dat de kracht van de Natuur het kwaad overwon en de ongeſteldheid der vogten naar buyten dreef. Alii Interpretes in hoc conſentiunt, & qui plura legere cupit, adeat ipſum optimum librum.

quentes: *Mediam partem oculi, auris, menti, oris, item rugas ventris, vel colli, locum etiam sub mammis, sub axillis, sub plantisque pedum, ut & ungues, caput & barbam, crinibus pilisque vestita; ulcus denique & adustionem dum exacerbantur.* Miratus saepe sum hanc Doctrinam, quae cum supervacuâ subtilitate, tum manifesta falsitate insignis est; & luculenter denuo delclarat, quantas quotque inanitates Rabbini inter praecepta sua admiserint. Sive enim Sacras Litteras, sive experientiam consulamus, has exceptiones fictas esse & commentitias videmus. Nonne lex Mosaica disertis verbis dicit: Cujus in cute, *quacunque corporis parte*, macula rubra albave sit, paulatim increscens cum pilis albis, hunc leprâ laborare? An non porro quosdam indicat locos particulares, in quibus macula leprosa residere soleat? Et nominatim, caput, barbam, ac mentum, adeoque illas ipsas partes, quas à pollutione immunes censent Judaei? Ubi hoc quoque notatu dignissimam est, quod Legislator diserte monet, in leprâ capitis & barbae non necessariam esse conditionem, ut pili albi existant, sed eos subinde solummodo flavescere. Cum praeterea sacer Textus mundum pronunciet eum, cujus cutis à capite ad calcem plaga tegatur, quocunque oculi Sacerdotis inspiciunt: An non apertum est, nullam & ne minimam quidem partem corporis excipi? Affecta sane pars prius fuisse debuit, quam sanata & mundata dici potest. Cum denique ad tuendas, quas commenti sunt exceptiones, verba legis: *à capite ad pedes, quacunque sacerdotis oculi inspiciunt*; sic interpretentur, ut dicant, intelligenda esse loca, quae unico intuitu statim in oculos incurrunt: quis est, quin indignetur desipientem subtilitatem, quae

mentem legis evidenter, & data quasi operâ distorquet ac pervertit.

Nec tantum Sacris Litteris contraria est Rabbinorum assertio, sed etiam ab usu & observatione refellitur. Quicunque enim probatorum scriptorum de lepra annotationes evolvere non gravatur, videbit memoratos à Rabbinis Corporis locos adeo non immunes ab infectione esse, ut citius caeteris & frequentius contaminentur, adeoque praecipuam exploratoris curam postulent, & primum omnium examini subjici debeant, quod dum scribo, exemplis vivis confirmatum habeo. Idemque vel ex hoc colligi potest, quoniam nulla corporis loca magis sunt pilis obsita, quam illrum partium, quas credunt à leprânunquam adfici, plurimae, saltem praecipuae, velut caput, mentum & subaxillaria. Sed haec ad refutandam Rabbinorum vaniloquentiam dicta sufficiant.

An Lepra recte definiri possit? Quid eam inter & Elephantiam intercedat?

Ad §. XIX.

Veram leprae definitionem, & regulis philosophicis ex amussim respondentem non puto posse exhiberi; quoniam illud specificum seminium, ex quo lepra producitur, quoque à caeteris morbis cuticularibus discrepat, sensuum acie non assequimur. Oportet igitur contentos nos esse descriptione quadam, id est, collectione phaenomenorum & symptomatum, quae in leprosis corporibus conspiciuntur, quorum illa, quae omnibus

bus communia ſunt, morbum quaſi definiunt. Sed de his ſatis à nobis in ſuperioribus dictum eſt. *Ousſeliana* vero quaſi-Definitio evidenter nimis laxa eſt, cum ſolam cutis praeternaturalem albedinem pro differentia ſpecifica ſumat. Neque tamen haec nos morabitur. Illud autem praeterire ſine reprehenſione non debeo, quod Elephantiaſi nihil cum noſtro morbo commune Auctor affirmet. Ego contra perſuaſum habeo, lepram ab Elephantiaſi non differre niſi gradu; tametſi fateor, rarius ad Elephantiae atrocitatem pervenire; plerumque maculis tantum vel ulceribus ſe manifeſtare; atque levius vel gravius afficere pro diverſo vitae regimine & diverſitate temperamentorum; denique ſpem ſanationis eſſe majorem, quando vitium per totum corpus aequabiliter diſpergatur, quam ſi unam duntaxat vel alteram partem & nominatim articulationem aliquam occupet teneatque.

Aetiologiae Judaico-Ouſeelianae brevis Cenſura.

Ad §. XX & XXI.

Cum Cl. *Ouſeelius* duas leprae cauſſas adſumſerit, unam moralem, alteram naturalem, nihil eſt, quod contra dicam, aut moneam, praeter hoc unum, quod generalis haec Aetiologia parum momenti habeat, & omnibus morborum generibus aequo jure accommodari poſſit. Quis enim ſanae mentis moralem cauſſam in morbis non agnoſcat? quae quippe nihil aliud denotare poteſt, quam Dei O. M. curam & providentiam in rebus hu-

manis tam adverſis quam proſperis. Hanc ergo providentiam ut omnium malorum phyſicorum, ſic etiam leprae diſpenſatricem ac moderatricem agnoſcimus, & adorantes veneramur, ſed tamen noſtrum maxime intereſt, progreſſus & cauſſas naturales, quas Divina ſapientia in hoc mundo conſtituit, exquirere & perſequi. Quod ſcrutinium circa lepram à Judaeis vel neglectum, vel ita factum eſt, ut vix operae pretium ſit, horum inaniſſimis commentationibus inhaerere.

Traditum eſt à nonnullis (*f*), Lepram endemium populi Hebraici morbum, & huic genti proprium fuiſſe, Judaeosque propter eum ex Aegypto pulſos eſſe. Haec autem accuſatio, quam injuſta ſit, non tantum à Joſepho dudum eſt demonſtratum, ſed etiam ex aliis Hiſtoricorum monumentis atque ex analogiâ clariſſime intelligitur. Notum certe eſt, lepram olim Aegyptiis fuiſſe familiarem, & ad hunc usque diem incumbere. Cecinit inſignis Poëta & Philoſophus *C. Lucretius* in l. 6. de rerum natura. vſ. 1112.

Eſt Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Aegypto in mediâ neque praeterea usquam.

Atque poſteriores etiam & noviſſimi Peregrinatores, unanimi conſenſu teſtantur, hanc luem adhuc in Aegyptios graſſari (*g*). Nec ſane neceſſarium eſt, ut in Aegyptum hujus morbi videndi cauſſâ proficiſcamur. Quid enim numeroſae *Domus*

(*f*) *Juſtin.* Hiſt. lib. 36. c. 2. & *Tacit.* Hiſt. lib. 5. ab initio.

(*g*) Conf. Proſper. Alpinus. aliique ſcriptores, quos in Diſſertatione excitavi.

mus St. Lazari ſignificant? Quid *Ordo equeſtris à St. Lazaro* denominatus? Nonne luculenter oſtendunt hunc morbum ante aliquod tempus per totam Europam ſparſum fuiſſe & magnas ſtrages edidiſſe? Ut etiam Principes & Magiſttatus pene omnium civitatum coacti fuerint aedificia extra Urbes extruenda curare, & leproſis excipiendis deſtinare, quibus nomen *Lazarethorum* paſſim datum eſt, quia opinio invaluerat, *Lazarum* hoc morbo laboraſſe; de quo tamen adhuc ſub judice lis eſt. Verum enim vero illa noſocomia exiguam habuisſent utilitatem, niſi etiam cordati & generoſi extitiſſent viri, qui amore proximi & pietate Chriſtianâ ferventes, curam miſerorum & e ſocietate excluſorum hominum habere auderent, nec periculum contagioſi & terrifici morbi ſubire dubitarent. Horum virtuti merito equeſtris dignitas decreta & tamquam praemium data eſt. Atque ſic natus ordo *St. Lazari* hodienum magno in honore eſt per omnem fere Romanam Eccleſiam. Neque Rex Sardorum Titulum Praeſulis ac Praefecti hujus Ordinis detrectat. Ipſum vero morbum, qui illius inſtitutioni occaſionem dederat, ne credamus univerſam deſeruiſſe Europam! Equidem Africae indigena ſolum Europaeum non habet ſibi valde favens; ideoque illatus olim poſt bella ſacra ſeu Aegyptiaca non diu primitivam atrocitatem retinuit, ſed ſenſim elanguefcens rarior factus eſt. Vel ſic tamen hodienum in regionibus nonnullis quaſi endemius graſſatur. Tales ſunt *Valles* in terris Pedemontanis, ac Ducatu Sabaudiae. Tales ſunt etiam ex obſervatione Illuſtris *Linnaei* Finlandiae Bothniaeque Septentrionales orae; ne nunc alias memorem regiones hac lue infectas; quas qui cognoſcere cu-

 pit,

pit; reperire potest apud Scriptores notissimos, Cl. *de Sauvages*, *Allionium*, & *Cartheuserum*. Notatu tamen & admiratione dignum est, quod Cel. *Pallas* eundem morbum nuper viderit in Sibiriâ prope flumen Jaik; cujus Viri eximiam descriptionem (*h*) dum cogitatius perlego, quamquam

(*h*) Exstat in itinerario clar. Viri, quod inscribitur: Reise durch verschiedene Provinzien des Russischen Reichs. Erster Theil. St Petersburg 1771. ubi pag. 301. & seq. haec leguntur:

Jaizkoi Gerodok ist übrigens wegen seiner hohen und offnen lage ein gesunder ort / und ausser denen von der lebensart herrührenden Krankheiten und der sehr im schwanggehenden Lustseuche / weis man daselbst von wenig Krankheiten. Alles volk ist stark und robust von ansehen / und man sieht auch unter dem weiblichen geschlecht wenig kleine staturen. Indessen hat sich eine besondere und wenig bekante art von Aussaz (Lepra) am (Flus) Jaik zu zeigen angefangen, welche von übelen folgen sein könte / wenn nicht vorsicht gebrauchet wird.

Es ist eben dasjenige übel / welches in Astrakan unter dem namen der Krimischen Krankheit bekant ist / oder auch der Schwartzen Sucht, weil eines der ersten Symptomen eine blaue angelaufene farbe des gesichts ist. Ich habe verschiedene damit im höchsten grade behaftete Personen gesehen. Es pflegt aber vier bis fünf jahr zu dauren / ehe dieses übel zu seiner völligen heftigkeit gelanget / und erst in sieben jahren / sagt man / das es tödtlich zu werden pflege. Es pflegt nicht alle personen / welche mit denen Kranken umgehen / wenigstens nicht in den ersten jahren anzustecken. Jedoch habe ich in Jaizkoi Gerodok eine familie gesehen / wovon zu erst der ältere Bruder / nach drei jahren der jüngere / und noch ein jahr späther die mutter von beiden angestecket worden waren / obgleich die Ehweiber der Kranken / die gemeinschaftlich mit ihnen wohnten / zu der zeit noch frei davon waren. Die Krankheit äussert sich am liebsten bei robusten leuten von mittelmässigem alter. Das erste und auch wohl zweite jahr spüren die Kranken keine merkliche leibesschwachheit oder schmertzen. Sie sehen im ge-

quam differentias satis notabiles percipiam, non possum tamen, quin luem Sibiricam ejusdem ingenii ac nostram & Judaicam lepram pronuntiem, & ex iisdem seminibus pullulantem.

Sed

gesichte blau und gleichsam gewürgt aus / bekommen einige blaurothe dike und unschmerzhafte fleken / oder flache beulen an der äussern seite des handgelenks / theils in den seiten / theils auch am kinn oder sonst wo im gesicht / welches sich mit groben flechten (impetigo) zu verunreinigen scheinet.

Bei einigen bleibt das gesicht in den ersten jahren unbeschmukt / und die fleken nehmen nur hauptsächlich an den gelenken / obwohl sehr langsam / an zahl und grösse zu. Zuweilen äussert sich auch im anfang etwas fieberhaftes. Bei allen aber pflegen sich nach etwa zwei jahren heftigere schmerzen in den gliedern und gelenken einzustellen Der Kranke fängt an appetit / kräften und ansehen zu verlieren / und eine innere schwäche zu spüren. Der aussatz entstehet haüfiger / geschwinder / und breitet sich am ganzen leibe / allen gliedern / und dem gesicht selbst aus / nicht mehr als blosse verdikte und dunkelrothe fleken / sondern als flache / schuppigt aussehende beulen / welche nach und nach exulceriren / einen unansehnlichen schurf setzen / und länger als irgend eine art von ausschlag stehen bleiben. Wenn der schurf endlich abtroknet / so empfindet der Kranke ein juken; alsdenn hat sich die haut unter dem schurf zimlich natürlich geheilet / stöst oder reist sich aber der Kranke eine noch unreife Rinde ab / so erfolgen bösartige / öfters um sich greifende und bis auf den knochen dringende schwaere / wovon die finger besonders gäntzlich verderbt werden / und wohl gar gliederweise abfallen. Gemeinlich pflegen die beine am meisten mit aussatz bedeckt zu sein. es bleibt aber nach und nach keine gegend am gantzen körper davon frei / ausser die innere fläche der hände und finger / ingleichen des armgelenks / ferner die höhle unter den achselen / das gesäs und knie kehlen. Diese theile behalten / auch bei dem heftigsten grad der krankheit alle zeit eine reine und natürliche haut / so wie auch der Haarkopf zimlich frei vom aussaz zu bleiben pflegt. Dagegen bleiben bei Kranken / die schon ins fünfte oder sechste jahr behaftet sind / selbst die Nassenhöhlen / die innere seite des

Mun-

Sed e diverticulo in viam redeamus, & caussas, quas Auctor noster, sive ex Rabbinis, sive ex suâ opinione proposuit, breviter lustremus. Aetiologia Sophorum quorumdam Hebraeorum, quam Rabbi *Alschech* & ex eo noster *Ouseelius* in §. 21. breviter proposuit, adeo levis est, & paene dixerim ridicula, ut refutatione non egeat.

Mundes/ ja so gaar die Luftröhre und der Schlund nicht frei von geschwüren; und vermuthlich wird die krankheit alsdan tödlich/ wenn sich diese schwaere imer mehr und mehr nach denen inneren und edleren theilen ausbreiten. Indessen nimt diese scheussliche krankheit dennoch/ die letzte zeit ausgenommen/ den Korper und die Kraeften weniger mit/ als man glauben solte. Die schmertzen sind gemeinlich erträglich/ und die natürlichen functionen gehen noch immer wohl von statten. Man bemerkt nicht/ das die Kranken/ wie bei anderen arten von aussatz/ einen ausserordentlichen trieb zur wollust spüren sollten/ vielmehr verschwindet derselbe bei ihnen nach und nach völlig. Man nimts auch nicht wahr/ dass das haar ausfallen solte/ ausser an denen bestaendig jükenden augenbraunen und an allen exulcerierten stellen. Man sagt dass diese Krankheit in der Krimmischen Tartarei mit einem Kochsel der daselbst ebenfals/ wie am Jäck/ wachsenden Anabasis Aphylla genesen werde. Allein am Jäck hat man diese Pflantzen um sonst gebrauchet. Ob Kweckfilber curen eine gründliche genesung zu bewerkstelligen im stande sein/ scheint mir sehr zweifelhaftig. Man hat einem damit im mittleren grad befallenen Kosaken in Orenburg den Speichelfluss erweckt/ wobei ihm viel bluth mit abgegangen seyn soll/ und es hat sich hernach zu besseren geschienen. Nach dem derselbe aber wieder zur vorigen diät und lebensart abgelassen worden/ hat der aussatz mit doppelter heftigkeit um sich gegriffen. Vielleicht waere es am dienlichsten/ äusserlich Mercurialische Lotionen/ innerlich aber Antimonialien zu gebrauchen. Allein solche versuche müsten durch Aertze gemacht werden/ die jahren lang oder beständig an denen orten/ wo sich die Krankheit gegenwärtig zeiget/ ihren aufenthalt hätten.

egeat. Illa vero caussa, quam *R. Levi Gersonides* assumit, scilicet privatio motus & liquorum stagnatio, lata nimis & generalis mihi videtur. Etenim in superioribus jam notavi, homines leprâ recens correptos inter initia morbi, dum una tantum aut altera macula apparet, omnibus adhuc peragendis functionibus pares esse, & quasi sanos, alacres, fortes, bono habitu; & quod maxime mirabile est, semper formâ & facie pulchriores, adeo, ut primo intuitu ne peritissimus quidem Medicus vel Physiognomus ullam luis vel contagii vel adversae valetudinis suspicionem facile conciperet. Quodsi generalis privatio motus esset caussa leprae, haec sane, quae modo dixi, in corpore sic affecto locum habere non possent. Atque etiam si alacritatem & multas corporis habilitates jam sublatas ponamus, ut in provectiore malo solent auferri, tamen privatio virium motricium non ut caussa, sed tantum ut effectus caussae considerari debet. Adeoque haec etiam Aetiologia cadit. Interim lubens concedo, in maculâ leprosâ deletam esse magnam sensus & motus partem, propter aliquam obstructionem, de quâ jam disserui in §. 30. Dissertationis meae. Attamen non credo, hanc obstructionem ex humore adeo crasso aut acri, atque illi ponunt, nedum in vasis majoribus nasci. Nam si talis esset, fieri non posset, quin inflammationes doloresque excitaret, quos tamen nunquam me observasse monui. Certumque est, naturam in principio mali nulla hujusmodi molimina phlogistica facere, ne tum quidem, cum potentialibus causticis, aut igne vivo irritatur. Quibus ego permotus statui, & etiam num existimo, virus leprosum non tam rodente quam stupefaciente vi praeditum

ditum esse: ideoque primam injuriam fibrillis nervosis inferre, deinde cum illas jam ex parte destruxerit, vasa lympham & sanguinem vehentia ingredi, & humores inficere; novissime tumores, ulcera, adustiones, caetera producere. Hoc modo intelligi potest, quare virus leprosum principio involutum sensim sine sensu lympham corrumpat, & viscidam immeabilemque reddat; temporis autem progressu etiam sanguinem ipsum rubrum inquinet, totamque corporis oeconomiam pervertat. Itaque ab ipso initio mali universalem lymphae pravitatem aliorumque humorum corruptionem statuere tanto minus licet, quo melior saepe habitus ac species corporis cernitur. Adhaec gradus quoque veneni, & quoddam discrimen inter leprosam vitae privationem & absolutam motus ac sensus abolitionem adsumi debent. Illos diversus macularum color leprosâ in cute indicat; hoc inde patet, quod etiamsi talis macula parum ali videatur, nequaquam tamen ex toto nutriri desinat. Nisi enim vitae quasi particula superesset, non posset aliter, quam sphacelus considerari, à quo tamen evidentibus notis distat. Sensu quidem privata est macula, & male nutritur, sed nutritur tamen, & firmitudinem suam diu tenet, & lente crescit, adeoque pro plane mortuâ haberi nequit. Quaenam vero *specifica* sit *differentia* illius virus, quo afflatum, corpus sensim paulatimque corrumpitur, & mirum variumque in modum deformatur, nec nisi post plurium annorum molestias atque calamitates interimitur: hoc ego cum ignarissimis ignorare me fateor. Ejus ingenium, ut jam dixi, venenis stupefacientibus propinquum esse mihi quidem persuadeo, cum videam facultatem sentiendi ab

e

eo debilitari, & passim in cute deleri. Verum tamen acrimoniâ, seu potius stimulandi potestate non prorsus carere, docet mirabilis ille *stimulus ad venerem*, & fere assiduus genitalium pruritus, qui non solum ante eruptionem macularum urget, sed etiam declarato jam morbo, nec tantum inter initia sed in progressu ac statu morbi, quin usque ad mortem manet, nulloque modo coërceri potest, nisi correctâ ac expulsâ infectorum humorum massâ. Sicut autem leprosi semper salacissimi sunt, sic vicissim heroës in palaestrâ venereâ eminentes & praeclaros, praesertim inter Aethiopes, numquam non suspectos habui; & inito examine conjecturam, quam conceperam, haud raro confirmatam vidi. Ad hanc imminentis aut jam prodeuntis leprae notam animum attendant Medici, quibus occasio datur. Est sane nexus, qui lepram interac salacitatem obtinet, valde paradoxus; nec facile interpretationem admittit; sed tamen signum haud contemnendum subinde praebet. Durat hic stimulus, quamdiu dira leprae materies in corpore circumagitur; ast ubi lepra ex Dialecto nostri *Ouseelii universalis* facta est, remittit desinitque. Hinc novum pro sententiâ, quam proposui, argumentum fluit: scilicet universalem lepram non esse amplius morbum, multoque minus altissimum mali gradum, sed veram perfectamque crisin, quae post virus leprosum à naturâ correctum & expulsum subinde perficiatur. Locus ad finem §. 21. ab *Ouseelio* allatus docet, scriptores Rabbinicos hoc subolfecisse. Etenim *Abarnes* lepram universalem dixit evacuationem esse criticam, qualis in variolis & morbillis fieri consuevit; crisin ergo habuit, sed nondum perfectam. Nos auctorita-

te

te divi Moyſis & experientiâ ducti perfectiſſimam eſſe cenſemus.

Lepra medicabilis eſt nec ne? An morbus non letalis recte dicitur?

Ad §. XXII & XXIV.

Non ſatis mirari poſſum prognoſin, quam Cl. *Ouſeelius* de leprâ format, dicens: *eſſe morbum graviſſimum, minime vero lethalem, neque ullo modo contagioſum; attamen incurabilem.* Quae quidem ejusmodi ſunt, ut inter ſe perinde ac cum experientiâ pugnent. Quid enim eſt morbus graviſſimus, qui nec vitae ſpatium demit, nec aliis hominibus contagione minatur? Graviſſimus quidem merito vocatur, qui aegro magnas ac diuturnas moleſtias creat & curari nequit. An ergo lepra jure incurabilis dicitur? Fidenter hoc affirmat Noſter, ſed neque probavit, neque ullo modo probare poteſt. Difficilem fateor eſſe curam, ob cauſas in ſuperioribus propoſitas; ſed nemo tamen dubitabit, quin curationem admittat, modo attentâ mente legerit ſcripta Moſaica, & ſimul experientiam conſulat. Quid enim? Divinus Legislator an ob curationem, à Deo *immediate*, ut loquuntur, id eſt, per miraculum expectandam, diaeteticas regulas ſcripſit? Anne potius ob curam naturalibus viribus à Deo conſtitutis moliendam & auxilio miniſterioque humano promovendam? Tantum abeſt ut curatio lepræ inter miracula ſemper habenda ſit, ut potius exempla leproſorum ſanatorum, quae in ſacris Hiſtoriis leguntur, etſi non omnia, tamen pleraque de-

declarent, Deum nolle homines in tantâ lue otiosos ac securos esse, aut remediis prophylacticis ac therapeuticis, quae ratio & observatio suadent, non uti. Sicut ergo de aliis morbis legimus, sanatos per miraculum esse, qui nihilominus interdum bonitate Naturae auxilioque Medicorum feliciter curantur: sic pariter lepram, quae speciali Numinis gratiâ interdum puncto temporis sublata fuit, etiam diaetâ & medicamentis idoneis sanabilem esse credimus & affirmamus.

Negat noster Auctor lethiferam aeque ac contagiosam leprae indolem; interim gravem esse morbum ait, imo gravissimum appellat. Itaque, ne arroganter agere videar, argumentis nonnullis lethalitatem atque contagium ulterius adstruere lubet; quibus confectis, gravitas morbi & atrocitas recte intelligi demum possunt; simulque ratio elucescet, cur lepra ut plurimum insanabilis perstet. Equidem maligna & insidiosa morbi natura vel ex hoc solo perspicitur, quod à levissimis & vix percipiendis initiis ortus, sensim sine sensu incrementa capit, adeo ut in principio vix ullam nobilioribus corporis partibus injuriam inferre videatur, sed lentissime serpens, nec dolores nec spasmos movens, fallaci specie decipiat. Itaque nec protinus correptum hominem jugulat, uti morbi acuti solent, neque contagiosum miasma repente diffundit, ut pestis, de quâ sibi quisque, modo sciat discrimen, cavere potest. Leprae periculum nemo effugere potest, nisi simul atque correptus eo fuit, sibi prospiciat idoneâ medicatione, aliis secessu e societate. Atque haec sane maxima est mali gravitas. Et si quis unâ tantum maculâ in aliquâ corporis parte notatus sit, potest alios bene multos homines, cum qui-

bus versatur & consuescit, clanculum contaminare; quamvis macula vix observatu digna habeatur. Quin imo contingere potest ac solet, ut virus ex illâ unicâ maculâ emissum vehementius in plures infectos grassetur, quam in eum, qui fons veneni erat, quique interdum ad sanitatem revertitur, dum caeteri misere pereunt. Par enim ratio est virus leprosi & scintillae igneae, quae cum per se levis est, tum vero maximum incendium, si aptam materiam contingat, excitare potest. Et hoc etiam titulo gravis sane & saepe immedicabilis morbus est.

Damus igitur, lepram non facere praesens vitae discrimen, nec repente mortem inferre; & ne quidem eos, quos occupavit, magnis protinus incommodis afficere. Quin imo fatemur, leprosos inter morbi initia esse alacres, esse ad Venerem, ad Bacchum, ad omnem lasciviam promtos. An propterea lethalis non est? Nonne potius malum, quo magis homines subdolo ejus genio indulgent, hoc velociora capit incrementa? Nonne quo lentius, hoc altius aget radices, eoque plures & ampliores miseriarum ramos postea expandet? Itaque diu intus latens, postquam vim vitae paulatim debilitavit, & obstructiones admodum pertinaces peperit, tandem facto quasi impetu, foras erumpens, hominem affectum per partes dilacerat, & tanquam crudelis carnifex articulatim perimit. Horrenda hujusmodi spectacula non semel madentibus oculis intuitus sum; & dubito, an ullus inter longos morbos gravior magisque pertimescendus homini sit quam leprosus, quippe qui aspectu teterrimus, exitu tristissimus est. Ejusdem vero primordia si forte ab aliquo Medico Chirurgo vel Amico animadvertantur, aegri ut

sibi

ſibi caveant moniti usque adeo plerumque ſpernunt, ut monitorem inſanire credant. Sera demum poenitentiâ acti quantopere lamententur, dici non poteſt. Atque ſic morbus, quem recentem tempeſtiva medicatio omnino ſuperare poteſt, ſaepiſſime inſanabilis evadit. Primordiales non curant maculas aegri, ſecuri vivunt, indulgent genio & pravis cupiditatibus, interim virus ſerpit, nec tantum humores magis inquinat, ſed etiam vires naturae frangit, quae inſuper ſub perverſo vivendi genere deteruntur. Ita fit, ut autocratrix natura criſi univerſali perficiendae perraro ſola par ſit. Quis enim neſcit, ut exemplo ad illuſtrandum utar, quanta naturae vis requiratur ad magnos abſceſſus? quanta molimina ſub variolis confluentibus aliisque mali moris morbis cutaneis facere debeat? quoties in hoc opere exhauſta ſuccumbat? Ex his ſimilibusque exemplis quisque metiri poteſt, & apud ſe aeſtimare magnitudinem virium, quae requiruntur ad correctionem, ſecretionem & eliminationem leproſi virus ex materiâ lentâ & narcoticâ conſtantis atque per univerſam humorum maſſam progreſſu temporis late diffuſi. Liceat ad exemplum de variolis ſumtum redire. Si ergo variolae mali moris, & vehementer confluentes incidant in corpora impura atque enervata, nonne ſummum periculum adferunt, ut fere miraculum habeatur, ſi aegri evaſerint? Atqui tamen morbus variolarum brevis eſt, & plerumque eo afflicti Medicis parent, cum imminens norint periculum. At vero in leprâ praeſertim incipiente Medicus ab aegris luditur; in progreſſu aegri Medicis parum fidunt; monita & praecepta negligunt; plures porro longitudinem curationis formidant & fugiunt; haud pauci deni-

que prorſus de ſalute recuperandâ deſperant, omnemque Medicationem reſpuunt. Quae qui perpendit, neque obiter homines, ut deberent eſſe, ſed ſerio & quales reverâ ſunt, conſiderat, is profecto dubitare nequit, quin longe plurimi ab inſidioſo hoc malo correpti perire tandem debeant; ideoque noſtro *Ouſeelio* aſſentiri non poterit, cum lepram minime letalem eſſe pronuntiet. Equidem longus tardusque morbus eſt, non rapit hominem, ſed vivere, quin ſeneſcere ſinit, praeſertim ſi aetate provectiorem demum invaſerit; adhaec ſenſum adimit partibus, quas occupat; proinde dolores haud facit notabiles. His ſi addere liceret, quod noſter ponit, nec letalem nec contagioſum eſſe, leves & luxurioſi homines facile poſſent induci, ut negligendum & naturae relinquendum eſſe crederent. Sed qualis ſit vita leproſi, docet ſymptomatum, quae in Diſſert. §. XIX. ac ſeqq. & noviſſime propoſui, conſideratio. Miſera profecto vita, cui mors ſaeva carnificis manu illata, niſi infamiam adferret, anteponenda videretur.

Eſtne lepra contagioſa?

Ad §. XXIII.

Venio nunc ad celebrem de leprae contagio quaeſtionem, quam *Ouſcelius* in §. 23. ita inſtituit, ut omnem contagionis ſuſpicionem remove re & depellere conetur. Ego vero contrariae ſen tentiae, quam in Diſſertationis meae §. 35. & ſeq. propoſui, etiamnum addictus, non mea tan tum, ſed etiam civium meorum, & pene dixe

rim

rim, generis humani interesse arbitror, ut mala securitas, quam negata leprae contagio adferre solet, ex animis hominum evellatur. Itaque illis argumentis, quae in superioribus adtuli, nonnihil lucis ac roboris addere nunc conabor.

Equidem contagiosa leprae indoles videtur mihi, quidquid in contrarium disputet *Ouseelius*, ex ipsis legibus Mosaicis elucescere. Nonne divinus Legislator jussit leprosos à populo separari, Castris Urbibusque excludi, & habitare solos? Nonne hoc mandatum disertis verbis iterum iterumque expressum legimus? Immo etiam observatum à gente Judaicâ fuisse ex multis locis Sacrorum Scriptorum clarissime patet (*a*). Anne porro post sublatam ceremonialem legem idem mos inter Christianos obtinuit? Nec sane a solis Judaeis profe-

(*a*) In Levit. XIII. vs. 46. edit Honert. legimus, *alle de dagen, in deweike; deese plaag aan hem sal zyn, sal hy onreyn zyn. Onreyn is hy. Hy sal alleen woonen. Buiten den leeger sal zyne wooninge weesen* ——— ad quem locum *Patrik & Polus*, viri clarissimi, hanc notam posuerunt: *Dit bevel ziet op de bywooning met gesonde Menschen, en niet op de zamenleeving met andere Melaatschen.* ——— Quod ego quidem hactenus verum esse concedo, ut ad praeveniendam sanorum hominum infectionem pertinere putem. Sed in curatione leprosorum censeo etiam ex ipsâ aegrorum cohabitatione & convictu magnum sanationis impedimentum proficisci.

In Num. cap. 8. vs. 2. *Gebied den Kinderen Israëls, dat zy uit het leger weg neemen alle Melaatschen* ——— vs. 3 *van den Man tot de Vrouwe toe* ——— vs. 4. *Ende de Kinderen Israëls deeden alzo.*

In Deuteronom. cap. XXIV. vs. 8. *Wacht u in de plage der Melaatsheyt, dat gy naerstighlyk waarneemt ende doet na alles, dat de Levitische Priesteren u lieden zullen leeren* ———

In notis Cl. *Patrik* bene monet: *zulken die sig inbeelden, dat aen de Priesters de sorg der Melaatschen, als aan derzelver Artsen, bevoolen was, hebben vergeeten, dat aen geene andere Zieken belast was, tot hen te koomen; waaruit blykt, dat de Prie-*

 ste-

fectus haberi debet. Etenim apud alias etiam gentes, quibus lex Mosaica non erat cognita, leprosis inter sanos habitare non licebat. Quid quaeso est, quod rudissimis hominibus & ignorantissimis Aethiopibus fastidium & aversationem incutit? Cur humana natura adeo leprosos abhorret, ut vel desipiens & delirans à foetore, quem leprosi fundunt, offendatur, eumque diu ferre nequeat? Nonne caussa est metus, quem talis Mephitis excitat, & quasi contagionis praesensio? Quis praeterea audeat negare, ex corruptarum rerum putrido halitu morbos contagiosos oriri? Nonne cadavera in libero aëre putrescentia ob metum infectionis fugimus? Etsi certum est, ordinariam putredinem a corruptione leprosâ diversam esse, nonne tamen analogiae vis manet? Quis atmosphaeram ab effluviis ulcerum, quae per totum corpus sparsa sunt & integras articulationes excidere faciunt, non inquinari contendat? Est sane odorifera materies, e corpore leprosi fluens, adeo infensa cerebro & nervis, ut facto tentamine viderim, hominem durum ac rudem, nihil de morbo, nedum de contagio scientem, in cubiculo, in quod eum una cum leproso quodam duxeram, ob solum odorem nec potuisse nec voluisse manere.

Urget tamen *Ousseelius* suam opinionem, asseritque leprosis liberum cum sanis commercium fuisse apud veteres Judaeos, adeoque nullum contagii metum; sacerdotis declarationem mere mora-

steren niet waren, om de Melaatsheit te geneesen, maar alleen om te beletten, dat andere daar door ontreynigt wierden; en om als God hen geneesen had, het nodige tot de reyniging te verrichten.

ralem, nequaquam infectionis periculum denotare; quin ipsa Divi Mosis praecepta omnem contagii notam à leprâ removere. At ego, de sapientiâ Mosis & in rebus etiam naturalibus peritiâ persuasus, quo cogitatius scripta legislatoris lego ac reputo, hoc clarius certiusque illis contraria perspicere mihi videor. Velut in exemplo Mirjam seu Mariae, quod *Ouseelius* opportune excitavit, manifestum est. Haec summi Pontificis *Aharonis* soror, cum ex speciali Divinae providentiae dispensatione subito leprosa facta esset, nonne fuit castris per septem dies metu contagii exclusa? Notatu admodum digna sunt Aharonis ad fratrem suum Mosem verba, cum pro communi sorore deprecaretur: *Neve sit haec similis abortivo, quod projicitur de vulvâ matris, corpore ad dimidium consumto. Ecce jam medium carnis ejus devoratum est a leprâ.* —— Et quid respondit Deus oranti Mosi? *Si pater Mariae spuisset in faciem ipsius, nonne debuisset saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & postea revocabitur. Ita exclusa est castris Mirjam per septem dies, neque populus ante Mirjam admissam castra movit* (*x*) Equidem nihil clarius perspicio, quam contagium leprae hoc loco indicatum. Lex contra leprosos jam lata & promulgata erat. Voluit Moses exemplo sororis populo vim legis probare. cujus instituendae ratio praecipua fuit periculum & metus infectionis. Atque hic Sacrae Scripturae locus exhibet simul genuinam atrocis morbi imaginem, brevissimis verbis conceptam. Corpus enim leprosum comparatur putrido abortui partim in utero materno adhuc haerenti, partim jam excluso. Et sa-

(*b*) Numer. XII. vs. 12. & seq. L 4.

ſane nihil aptius dici poteſt. Utique recenti teneo memoriâ, quae oculis naribusque percepi, cum ante hos duodecim annos feminam ex partu mortuam diſſecarem. Corrupti foetus dimidia pars in utero adhuc haerebat. Aperto utero tam immanis ſpargebatur foetor, ut non ſolum omnes adſtantes aufugerent, ſed etiam veſtes meae putidiſſimo aëre ſic imbuerentur, ut illis per octo dies nec potuerim uti nec auſus ſim. Quin totum corpus, licet omnibus generibus acidorum & odoriferorum liquorum me lavaſſem, adeo graviter olebat, ut per aliquot dies mihi ipſe faſtidio fuerim, & ab amicorum & familiarium conſortio ob aſſiduam nauſeam & inferendae moleſtiae metum abſtinere debuerim. Hunc vero foetorem, non alii melius comparare potui, quam Mephiti ex leproſis corporibus exhalare ſolitae. Atque ſic ab ipſâ experientiâ edoctus, Sacrum Scriptorem aptiſſimâ imagine uſum eſſe, ut vim peſtiferam morbi exprimeret, non dubito affirmare, primo metum contagii fuiſſe cauſſam, cur ex lege Moſaicâ leproſi extra coetum hominum habitare cogerentur; deinde idem hoc contagionis periculum, ex jure & lege naturali ſufficientem rationem praebere, ob quam leproſos qualibet Civitate excludi oporteat, ne tot ſani & bene valentes veneno paulatim contaminentur. Et legi quidem Moſaicae ipſos Reges ſubjectos fuiſſe, ſi forte leprâ correpti eſſent, docet caſus Aſariae Regis Israëlitarum, quem leprâ affectum legimus domo regiâ exiiſſe, & ſeparatim habitaſſe, declinatis in Jothamum filium ſuum officiis. Et alia ſunt Sacrarum Litterarum loca, quorum comparatione diſcimus, Judaeos hanc legem ſancte obſervaſſe, uſque ad deſtructionem Templi atque Urbis Hiero-

erosolymorum, sed his expugnatis dirutisque, haec quoque lex cum aliis institutis quibusdam negligi coepit & exolevit (*a*).

Confectam esse Quaestionem crediderim, nisi argumenta quaedam superessent, quae Cl. *Ouseelio* tantam habere vim videntur, ut vanum omnino & inanem contagii leprosi metum affirmare nullus dubitet. Et primum quidem inde petit, quod Sacerdotes, à quibus exploratio fieri debebat, miasmate leproso non contaminarentur. Heu mihi! quis artem medicam exercere auderet, si contagiosi morbi existerent, qui protinus sub intuitu Medicum inficerent? An unquam saeviit pestis adeo velox? Ego sane vehementer dubito; neque ex Annalibus exemplum fide dignum adferri posse opinor. Sed doctissimus Vir non distinguit examen medicum à frequentatione. Aliud est leprosum inspicere, aliud commorari & versari cum leproso. Accusati de leprâ, vel suspecti, ut examinentur, ad Sacerdotem duci quidem solebant, sed peractâ inspectione, si condemnati erant, extra urbem, vel extra castra habitare cogebantur; sin vero ambiguum malum & Sacerdoti dubium fuerit visum, includebantur. An cum Sacerdote? nequaquam; sed omnino soli: Quodsi post primum septiduum Sacerdos adhuc sub altero examine haeserit incertus, nec pronunciare ausus sit, cur quaeso iterum includi debebant? Nonne hoc de inclusione repetendâ mandatum caussam declarat, ne scilicet, qui suspecti sint & habeantur, si

(*a*) Conf. Levit. C. 3. vs. 2. C. 14. vs. 2. Num. Cap. 5. vs. 2. cap. 12. vs. 14, 15. Deut. cap. 14. vs. 8. 2 Reg. cap. 15. vs. 5. 2 Paralip. cap. 26. vs. 20. Matt. cap. 8. vs. 7. cap. 11. vs. 5. Marc. cap. 1. vs. 40.

ſi cum ſanis vivere & verſari pergant, hos forte contaminarent?

Iterum inſurgit Cl. *Ouſeelius*, & contra ſententiam noſtram adducit locum ex *Talm. Neg. cap.* 3. §. 2. ex quo patet, ſi ſponſus vel ſponſa tempore nuptiarum in ſuſpicionem leprae veniſſet, non protinus inſpectionem factam, & ne quidem permiſſam prius fuiſſe, quam integrum convivii nuptialis ſeptiduum peractum eſſet. Ex hâc igitur dilatione ſic argumentatur: ſi lepra eſſet vere contagioſa, etiam convivas contaminare potuisſet. Atqui poſterius falſum eſſe inde apparet, quia ſuſpicio & accuſatio leprae nullam temporis, nuptiali feſto deſtinati, particulam detrahebat. Ergo nec prius verum eſſe poteſt. Malam vero hanc eſſe concluſionem exiſtimo, & ex neglecto ortam diſcrimine, quod inter accuſatum & damnatum intercedit: ne jam modos contagionis varios memorem, quos *Ouſſeelius* etiam confudit. Liceat mihi, ut plenius reſpondeam, exemplum adducere, è vitâ communi deſumtum: Quis unquam hominem, quocunque etiam capitali crimine accuſatum, pro infami habuit, antequam crimen recte fuerit probatum? Secundum acta & probata Judex damnat aut abſolvit. Delatio certe criminis neutrum praeſtat. Nec quisquam, modo aequus & juſtus ſit, reum ante damnationem fugit, ſed tum demum, cum ex Judicis ſententiâ damnatus eſt & infamiâ notatus. Sic etiam olim delationem leprae non ſtatim ſequebatur damnatio, ſed ſolummodo poſt initum examen ſecluſio. Quodſi quis accuſatus fuerit inter ſolemnia nuptiarum gaudia, intempeſtivam hanc accuſationem merito habebant veteres, ideoque attentione haud dignam, non tantum ideo, quia ju-

justam laetitiam interrumpere iniquum est, sed magis etiam propterea quoniam sera accusatio, quae ante festum fieri debuisset, plerumque ex malo animi affectu proficiscitur.

Exemplum *Naamanis*, quod *Ousseelius* ad confirmandam suam opinionem adduxit, quasi ille, utut leprosus, in domum Regis Israëlitici admissus fuerit, non majorem ad refutandum contagium vim habet, quam priora argumenta. Primo enim omnibus notum est, Naamanem non fuisse ex gente Hebraeorum, sed Syrum; deinde etsi admissum esse credamus, admissus certe est ab Aulicis morbum ejus ignorantibus, admissus est tamquam legatus peregrini Regis, ut epistolam traderet. Praeterea, non dicitur Naaman cum Rege Israëlitarum collocutus esse; & sane verisimilius est, hoc non factum fuisse, quoniam in historiâ sacrâ legimus, Regem Israëlis, lectâ epistolâ Regis Syriae exclamasse: *Num Deus ego sum, ut occidendi vitamque conservandi potestatem habeam, ut hic mihi hominem à leprâ sanandum mandet? Cognoscite, quæso, & videte, quomodo contra me captet occasionem* (*). Quis credat hanc vocem coram Naamane fuisse prolatam? Aut quis dubitet, quin solis Aulicis & Ministris suis Rex animum sollicitum his verbis declaraverit? Quodsi, quae deinceps facta sunt, attentâ mente legamus & expendamus, contagionis me-

(*) Ex his verbis, quae extant 2 Reg. cap. 5. vs. 7. multi celebres viri collegerunt, lepram insanabilem esse, sed perperam, ut opinor. Nam significant tantummodo difficultatem curationis, sed hanc impossibilem esse nequaquam docent. Profecto omnes, qui ferociam & pertinaciam hujus morbi norunt, ultro fatentur, perquam esse curatu difficilem; idemque ego, cum in Differt. meâ monstravi, tum in sequentibus per exempla confirmatum dabo.

metum magis confirmari quam refelli hoc exemplo videmus. Etenim ipse Elisa Propheta, ad quem Naaman à Rege Israëlitarum missus est, consilii petendi caussâ, ne quidem egressus est, sed Naamanem ante ostium cum magno apparatu stantem, misso nuntio lavare jussit in Jordane flumine. Quo quidem mandato Naaman offensus iratusque discessit, aegre ferens, quod Propheta ad eum invisere haud dignatus sit. Cur quaeso Naaman Vir Illustris, & potentis regis Legatus domum non ingressus est Prophetae? Putem, quia non ausus, morbi sui conscius, nec legum Judaicarum plane imperitus. Nonne hinc probabilis conclusio est, in regiam domum pariter admissum non fuisse? Postea vero, cum sanatus ex Jordane rediret, stetit coram Prophetâ, qui nunc etiam ut signum perfectae puritatis praeberet, non amplius detrectavit cum Naämane colloqui.

Provocat etiam *Oussechius* ad *servum Prophetae*, qui à Domino suo dimissus, quamquam ad mortem usque leprosus fuerit, tamen aliquot annis post inter Regis Aulicos & Amicos sit repertus; Atque hoc etiam exemplo falsitatem contagii probari confirmarique existimat. Enimvero ex sacris Annalibus patet, famulum illum, ut facta & miracula narraret, vocatum esse; sed hinc non sequitur, aditum ad Regiam ei semper licitum liberumque fuisse; multoque minus valet conclusio, lepram non esse contagiosam. Quod nimium probat, nihil probat. Namque etiam leprosis non erat vetitum, cum sanis hominibus confabulari, quin immo licebat Urbem & Templum ingredi, sed pernoctare in Urbe prohibebantur, & sacra sua in separato Templi loco facere debebant. Mitto alia, quae levitatem hujus argumenti ostendunt.

dunt. Sed non poſſum, quin caſum Regis *Aſariae* ſeu *Oziae*, quem antea memoravi, hoc loco iterum adducam, & noviſſimo exemplo comparem. De hoc Rege ſacer Hiſtoricus ita loquitur in 2. Paralip. C. 26. vſ. 20. & ſeq. *Cumque Regem intuentes Azarias Pontifex & omnes reliqui ſacerdotes viderent lepram in fronte ejus, eum è templo confeſtim expulerunt: ſed & ipſe Rex perterritus acceleravit egredi eo, quod ſenſiſſet illico plagam Domini. vſ. 21. Fuit igitur Ozias Rex leproſus usque ad mortis diem, & habitavit in domo ſeparatâ plenus leprâ.* Cum igitur Rex perinde ac ſervus Prophetae leprâ ad ultimum vitae halitum fuerit affectus, unde illa conditionum diſſimilitudo proficiſci potuit? Quo jure *Ouſſeelius* nobis perſuadere vult, ut credamus famulo leproſo fas fuiſſe, regiam frequentare, Regem autem leproſum per omnem vitam debuiſſe in domo ſeparatâ morari? Non quaero ex his duobus caſibus, uter ſit veriſimilior, ſed uter in ſacris Hiſtoriis clarius ſit expreſſus? Ambo certe, famulus & Rex, Deo jubente leprae poenâ afflicti ſunt. Attamen ſervi erat poena gravior. Nam legimus, lepram, quâ percuſſus fuit, tranſiiſſe in ejus poſteros. Hoc de Rege ſcriptum non eſt; quin contrarium ab exemplo filii Regis diſcimus. Quis ergo credat Dominum auguſtâ domo cedere debuiſſe; ſervum, cui gravior poena erat à Deo inflicta, eandem ad libitum ingredi potuiſſe?

Quae cum ita ſint, affirmare non dubito, argumenta ex Sacris Litteris petita adeo parum refellere contagionem leproſi veneni, ut hanc potius adſtruant & confirment. Inter profanos ſcriptores nullus eſt Moiſe antiquior; nullus, qui lepram melius cognoverit, ejusque certiora ſigna prodiderit. Hoc tamen nos docent, morbum ab om-

omnibus fere gentibus contagiosum fuisse habitum, ideoque leprosos societate civium exclusos; non quidem in principio morbi, quippe quod certis notis nondum didicerant dignoscere, sed simul atque declaratus manifestusque erat. Hunc laudabilem excludendi morem, ex justo contagii metu natum, non opus est, ut novis testibus adductis probem; siquidem in notâ ad §. 35. Dissert. meae plures gravissimosque Auctores ex antiquitate excitaverim. Satis erit unum adhuc *Herodotum* advocare, qui in libro Κλειω de Persis narrat, ab his leprosos urbe pelli fuisse solitos, addens, si forte peregrinus hâc lue inter eos adfectus fuerit, hunc protinus finibus regni sui exire jussum esse.

Itaque etiam sublata lege Mosaicâ Christiani leprosos a sanis separandos esse recte censuerunt; hanc segregationem non tantum caritatis praecepto non contrariam habentes, sed omnino congruentem, ideoque justam ac necessariam. Etenim morbi atrocitas non fuit simul cum lege sublata. Igitur urgenti malo occurrere, & limites ponere, ne diffunderetur, quovis modo studebant & laborabant. Nihil autem ad coërcendam luem efficacius est separatione infectorum. Optimô igitur consilio, cum bella sacra hanc luem in Europam reduxissent, Nosocomia illa a *S. Lazaro* denominata, quorum supra mentionem feci, magno numero exstruxerunt, sanis pariter atque aegris prospicientes.

Rudes denique Aethiopes, e quocumque Africae angulo venerint, saepe de hoc morbo sciscitatus, metu contagii imbutos esse omnes intellexi. Equidem in principio mali, cum una tantum vel altera macula est, leprosos non fugiunt. Simul vero ac plures propullulant maculae, infectos suo

coetu

coetu excludunt, & in ſylvis ſub parvis tuguriolis habitare cogunt. Separatorum curam aliquandiu habent; adeunt ſubinde, alimenta ferentes; ſed hic miſericordiae affectus ſenſim elangueſcit, praeſertim quando ulcera oriuntur; tunc horror & contagii metus omnem humanitatis ſenſum extinguunt. Sic plerique leproſorum miſere pereunt. Memoratu dignum eſt cunctas Africae gentes, quae Europaeis mancipia vendunt, ut ut magno locorum intervallo diſſitas, hunc morbum prae aliis abhorrere, & nominibus ab uno eodemque vocabulo, quod impuritatem notat, ductis deſignare. Carmachici vocant *Kohan*, Lorangi, *Koban*; Coromantes *Kokobe*.

Ex quibus inter ſe collectis conſequi puto confirmarique, quod ſaepius affirmavi, nempe virus leproſum verâ contagione, ni homines ſibi caveant ſerpere, ideoque omnibus ſtudiis fugiendum eſſe. Interim diſcrimina contagiorum lubens agnoſco, & alia aliis velociora ac graviora eſſe fateor. Dum maligni morbi per populum graſſantur, dum peſtis, febres putridae, dyſenteriae malignae, aliae epidemiae gentes opprimunt, incredibilem ſaepe contagionis vim & celeritatem videmus. Dixeris ſanos ab infectis eminus, & ſolo quaſi conſpectu inſici, & mortiferum miasma cum ſpiritu attrahere. Hinc brevi poſt ſuſceptum virus, in corpore ſigna comparent. His velocibus contagiis leproſum nequaquam accenſeri velim. Sed alia ſunt tardiora, quae non ex intervallo agunt, nedum cum aëre hauriuntur. Scabies, pſora, ſiphilis, omnium conſenſu contagioſae ſunt; neque tamen niſi contactu, convictu, concubitu propagantur. Etſi jam ſparſerunt ſua ſemina, tamen haec non protinus germinant & explicantur.

tur. In aliis corporibus cito, in aliis tarde pullulant. Magna eſt naturarum diſſimilitudo, & perquam varia ſuſcipiendi veneni facultas. Suſceptum modo ocius modo ſerius ſigna externa praebet. Atque inter lentiora contagia leproſum eſt, quippe quod nonniſi frequentiori & intimiore cum infectis commercio ſanos apprehendit, nec ſane omnes pari ſeveritate. Atque etiam eorum, quos inquinavit, alios brevi deformat, alios diu ſinit ſpecie extrinſecus honeſta vivere. Semper tamen inſidioſum eſt adeo, ut illos etiam ſuſpectos reddat, qui cum leproſis leviter maculatis aliquandiu verſati ſunt. Latet ſaepe ſub herbâ anguis, & ſero interdum prodit, ſaevitque atrociter, cum metus omnis evanuit.

Hiſtoriae aliquot leproſorum.

Inter ea, quae in hoc de leprâ ſermone propoſui, nonnulla ſunt ejuſmodi, ut illuſtrationem confirmationemque per exempla poſtulare videantur, quo minus offendant aut in animo Lectorum dubia relinquant. Ex multis igitur leproſorum caſibus, quos videre mihi contigit, paucos eligam, & breviter narrabo, quae ſenſibus ipſe meis percepi, phaenomena, initium facturus à triſtiſſimo ſpectaculo, quod ipſa Italia, quae caeterum amoeniſſima Europae pars haud immerito habetur, mihi exhibuit.

1. Cum ante aliquot annos ſtudiorum cauſſâ Europam repetiiſſem, peractis in Belgio rebus neceſſariis, tulit animus Gallias & Italiam peragrare. Contigit mihi, cum Taurinum veniſſem, tam felici eſſe, ut *Allionius*, Vir Clariſſimus, & inter

prin-

principes Botanicos merito habendus, humanissime exceptum amicitiâ suâ & familiaritate frui me sineret. Quâ opportunitate ita sum usus, ut Botanicen, quam semper amavi, per aliquot mensos sub tanto Magistro coluerim, & ex quotidianis cum eximio hoc Viro colloquiis proficere studerem. Inter haec, cum etiam de morbis moribusque Americanorum & Aethiopum sermo incidisset, praeter alia, quae his gentibus propria sunt, etiam leprae mentionem feci, & sciscitanti *Allionio* phaenomena hujus morbi, prout in Dissertatione meâ descripseram, exposui. Extemplo vir perspicacissimus similitudinem aliquam vidit Americanae leprae, cum morbo singulari, qui familiam quandam pauperculam ipsi notam per multos annos infestaverat; rogavitque, vellem superstites hujus familiae invisere, & judicium post autopsiam facere, addens, ali miseros publicis sumtibus in viciniâ urbis Moncaleriensis. Ego vero non tantum lubentissime annui, sed precatus etiam sum, ut copiam mihi eos videndi faceret. Impetravimus facile veniam a principe Regis Ministro, qui illustris ordinis S. Lazari Praeses vicarius est. Profecti sumus Moncalerium comitante Cl. *Dant*, Professore Taurinensi meritissimo, cujus erga me benevolentiam gratâ mente assidue recordor. Haec urbs paucis tantum leucis Taurino distat. Mane profecti in eam ante meridiem venimus, & a Medico atque Chirurgo, qui Cel. *Allionii* familiares erant, perhumaniter excepti statim nosocomium intravimus. In vestibulo obviam nobis processit Pater miserae illius Familiae, quem malo gentilitio immunem & omnino sanum esse credebant; ego autem protinus leproso miasmate infectum suspicabar. Uxor hujus viri & filius natu maximus duobus annis

anteperierant ex eodem morbo, quo duo filii natu minores tunc gravissime affecti laborabant. Filia unica, decem annis aliquanto major, post amissam in sinistrâ manu primam digiti indicis phalangem, dicebatur sanata, & erat formâ non invenusta.

Ingressus cubiculum, in quo duo illi filii erant, vidi natu majorem in lecto cubantem. Erat horrida adspectu facies, plena tuberculis ex livido colore nigrescentibus, labia erant tumida, aures & nasus inflata simul & hinc inde fissa, vox rauca, lingua arida, pectus abdomenque maculis rugisque obsita, quales etiam in dorso sparsim conspiciebantur; venter tensus & ita tumens, ut viscera, praecipue hepar & splenem, item mesenterii glandulas, infarcta & obdurata palpantibus manibus offerre videretur. Brachia quoque erant rubris distincta maculis, in quibus coram celeberrimis viris, qui comitari me dignati erant, varios stimulos periclitatus sum, sed nullum omnino sensum excitare potui. Major pars phalangum in digitis manuum erant lapsae; vulnera videbantur consolidata, verum tamen sanata non erant. Crura plena maculis, pedes multis ulceribus cariosis obsiti erant, neque in his ulla facultas sentiendi superstes. Deciderant etiam aliquot jam phalanges digitorum ex pedibus; reliquae tumebant. Caeterum miserrimus homo ante aliquot dies febre correptus jacebat admodum debilis & inquietus, sic ut eum non dubitaverim pronuntiare insanabilem, tametsi in flore aetatis constitutus trigesimum annum non superasset.

Ejus Frater, viginti quinque annos natus, non tam vehementibus cum symptomatis luctabatur. Jacebat quidem in lectulo, sed non erat tam di-

adſpectu. In ejus facie videbam maculas omnino indolentes, quales etiam per totum corporis habitum ſparſae erant. Nonnulli quoque digiti manuum truncati, primas phalanges amiſerant. Ad haec facies tumebat, tamen ſine induratione. In pedibus ulcera conſpiciebantur, ſed neque carioſa neque maligno adſpectu aut odore; quin pus ſatis laudabile ſtillantia. Denique nulla in hepate, ſplene, aut meſenterio obſtructionum ſigna percipere poteram. Erant caeterum ambo Fratres alvo admodum tardâ, ita ut venter ſaepe per tres quatuorve, ſubinde per octo dies, officio ſuo deeſſet. Majorem ſuo fato relinquendum, minorem contra cum ſpe ſanationis curari poſſe & debere cenſebam.

Nunc ad Filiam nos convertimus, quae ut dixi, pulchrâ erat facie, in quâ nihil praeter unam maculam indolentem juxta alam ſiniſtram naſi conſpiciebatur. Et haec macula, ſi vel ſola fuisſet, mihi ſuſpicionem leprae moviſſet. Verum etiam aliud aderat ſignum; cum enim jam ante perdidiſſet primam digiti indicis phalangem, manum intuitus reperi in cicatrice maculam indolentem, quae certam veneni non extincti notam praebet, & novam ulcerationem in illo loco futuram praenuntiat. Relatum tunc etiam eſt, puellam de nullis doloribus queſtam eſſe, quamdiu ulcus in phalange gereret; eandem à multis Medicis & Chirurgis, omnibus Medicaminum generibus fuisſe tractatam; quin aliquoties ad ſalivationem perductam; ſiquidem nonnullis morbus, quo laborabat, venereus fuerit viſus; Tandem vero ſpe ſanationis abjectâ deſertam à Medicis, & ſorti ſuae commiſſam eſſe.

Patrem denique, ſexagenarium virum, quem

omnes ſanum habebant, ego autem primo ſtatim intuitu conjeceram infectum eſſe, factâ diligenti exploratione coram graviſſimis Teſtibus eodem prorſus veneno imbutum deprehendi, ſed intus propemodum latente, & per ſingularem naturae vim quaſi coërcito. Robuſtus vir erat, vultu truci ac rubicundo, nullis tamen maculis vere leproſis conſpurcato. Manibus integris & indefeſſis miſerae ſuae familiae paterna ſemper officia praeſtiterat. Juſſi eum veſtes ponere, & in nudato corpore maculas leproſas non tantum digitis demonſtravi, ſed etiam acu & cultro adhibitis indolentes eſſe cognovi, viderunt mecum clariſſimi Profeſſores. Neque enim paucae neque admodum parvae ſuper muſculos glutaeos erant; nonnullae etiam, ſed exiles, ad nucham ſubter capillos. Caeterum univerſus corporis habitus maculis nodisque vacabat. Infectum tamen eſſe non dubitanter pronuntiavi, & ſigna certiora forte brevi daturum. Saepe enim quo lentiora ſunt incrementa, hoc atrocius malum eſt, ſi quando antidotalem naturae facultatem ſuperavit.

Stirps mali veriſimiliter mater fuit. Haec omnes, quos peperit, liberos venenaſſe videtur, nec maritum, utut robuſtum ac ſanum, plane immunem reliquit. Ipſa primum à veneno victa occubuit; Liberi, quo priores, hoc gravius infecti erant. Natu maximus matrem brevi ſecutus eſt; ſecundum vehementiſſimâ lue laborantem & morti propinquum; tertium minore gradu affectum; filiolam adhuc levius aegrotantem; patrem externa ſpecie fere ſanum vidimus. Interrogavi omnes num recordarentur, qua occaſione hunc morbum contraxerint? Sed ad hanc quaeſtionem nemo eorum reſpondere potuit. Unum hoc notatu dignum dixe-

dixerunt, complures esse pagos in illa Pedemontii parte, cui nomen est *vallium*, quorum multi Incolae à primâ pueritiâ, hoc malo infestentur. Et ego sane expertus sum, cum iter per Italiam facerem, lepram ibi frequentiorem esse, quam in frigidioribus Europae regionibus. Neque enim in solis nosocomiis Italiae hoc morbo laborantes passim vidi, sed etiam in Urbibus ambulantes offendi homines maculis conspurcatos, & leprâ jam satis declaratâ infames.

Non possum, quin mentionem faciam abominabilis foetoris, quem nosocomium Moncaleriense intrantes percepimus. Eundem vero Medicus & Chirurgus, qui curam aegrorum habent, multo vehementiorem subinde & summo mane pene intolerabilem esse asseverabant. Nec sane secus esse potest. Cum enim nos domum ingrederemur, jam diu fenestrae & januae apertae fuerant; anni tempestas favebat, quippe aestiva; cubiculum ipsum satis spatiosum; aedium ex lateribus & calce constructarum in libero campo situs peropportunus. Quanta & quam pestilens Mephitis esse debet per hyemem, dum nubila & frigus omnes occludi aperturas jubent!

Haec narratio multum, ni fallor, lucis adfundit, nec parum roboris addit, meae de leproso veneno & variis ejus modificationibus sententiae. Equidem plura possem exempla similia producere, ex praxi meâ Surinamensi, sed Testibus adeo praeclaris, atque in proposito casu habere mihi contigit, careo. Vetat etiam verecundia, ne quem civium meorum nominatim excitem. Interim certum pariter ac dolendum est, assidue per Urbem nostram ambulare leprosos & cum sanis versari, nemine prohibente. Largior lentum esse leprae contagium, &

liberum per aërem volans, non tam facile vim suam exserere; nihilominus prudentiae ratio suadere videtur, ut infecti separatim vivere juberentur. Sed haec cura non pertinet ad meum officium. Ut igitur adversus neminem injurius videar, pauca duntaxat exempla addam, & brevissime illa tantum phaenomena, quae ad rem faciunt, proponam.

II. Sedecim abhinc annis, cuidam amicorum meorum Juvenis Aethiops venalis offerebatur. Amicus quum maculam exiguam rubram in facie Aethiopis juxta canthum majorem oculi sinistri observaret, me accersivit. Veni spectatum; & exploravi maculam, quam cum omnis sensus expertem esse cognoverim, dissuasi emtionem, sed non paruit amicus meus, nec se a consilio emendi abstrahi passus est; quoniam Aethiops ille admodum honestâ erat facie, bono corporis habitu, & prosperâ valetudine frui videbatur, nec quindecim annis major, neque aliis maculis praeter unam illam infectus. Emtum mancipium quotidie fere ante oculos meos versabatur, eosque in se convertebat. Diligenter, nec sine admiratione, incrementum maculae notabam. Vix assi magnitudinem, cum primum eam viderem, habuit: sed quadruplo major intra unius anni spatium evasit. Atque ita paulatim crevit, ut nec Herus nec alii amplius dubitarent juvenem lepra laborare. Eventus suspicionem justam fuisse declaravit. Intra paucos annos malum eo atrocitatis processit, ut non tantum facies universa ulceribus cacoëthicis & cariosis, aures undique tuberculis deturparentur, sed etiam digitorum phalanges corruptae caderent; & ipse aeger vitae pertaesus mortem sibi conscisceret ope laquei. — A

qu

que hic casus ideo maxime memorabilis est, quoniam clarissime docet insidiosam & fallacem leprae indolem. Una fuit macula in corpore juvenili optime conformato. Ecquis exilem hujusmodi notulam non contemneret? Et tamen ex levissimo hoc principio intra paucos annos in flore aetatis horrenda mala fluxerunt. Quam mirabile venenum! Quanta naturarum dissimilitudo!

III. Feminam quandam Aethiopem, quae adhuc vivit, jam ante XVIII. annos initialibus leprae notis infectam novi. Jam tunc maculas rubras sensu vacantes gerebat, maxime in partibus obscoenis; reliquum enim corpus fere mundum erat, sic ut nemo suspicaretur, eam hoc morbo laborare, praesertim quia ancillae officiis summâ fide & diligenter fungebatur, neque infoecunda erat, utpote quatuor liberorum mater. Hi vero liberi latentem matris morbum maxime prodiderunt. Omnes enim manifesta leprae indicia praebent, & mirabile est, quod virus in prole celeriora incrementa capere videatur quam in matre, quae quippe nullum aliud ex eo incommodum adhuc patitur praeter macularum diffusionem. An dicemus in hâc Afrâ virus non esse tam acre, quam in Afro Juvene, cujus historiam praemisi? Numquid sexus & temperantia vitae, quam honesta ancilla degit, discrimen faciunt? An potius repurgationi menstruae, cujus beneficio impuritatis aliqua particula jugiter eliminatur, optabilem hanc veneni tarditatem tribuemus? Quidquid sit, dubitari non potest, quin universa humorum massa viru inquinata sit, siquidem hoc in prole apparet.

IV. Hebraea quaedam Femina ulceribus ad crura & pedes vexata ante hos decem admodum annos consilium a me petiit. Erant ulcera ma-

nantia & saepe cruenta, semper carne luxuriante & quasi vivente plena, sed sentiendi facultate omnino vacabant. Ego leprosa ulcera e vestigio affirmare non dubitavi; ideoque feminam necessariis diaetae praeceptis & medicaminibus impertivi. Quibus quamdiu recte usa est, tamdiu melius se habuit, ut etiam spes maxima sanationis adfulgeret. Et sane jam ante discessum meum se sanatam credebat, sed monui eam & obtestatus sum, ut ne fallaci peractae sanationis spe decipi se sineret, neve à methodo medendi, quae felicem exitum pollicebatur, discederet ocyus, quam par esset. Etenim non ignorabam larvas insidiosas hujus morbi. Illa nihilominus, cum profectus essem, consilia mea neglexit. Ita factum est, ut omnia paullo post in pejus ruerent. Ego extra Coloniam quatuor fere annos egi. Reversus Feminam incredibiliter deformatam & morti proximam offendi. Etenim aures, nasus, labia, undique erant ulceribus obsita, & quod pessimum est, ophthalmiâ horrendâ jam per sex menses laboraverat. Itaque exhaustis viribus non diu post diem obiit supremum.

V. Similem rerum conversionem vidi etiam in viro, qui cum altissimo leprae gradu, id est Elephantiasi, affectus esset, curae meae semet tandem submisit. Per aliquot Menses obsequiosus ita profecerat, ut omnino sanum se & mundum crederet. Cui persuasioni avaritia accessit, ut sumtus porro facere nollet. Itaque monita medica simul cum remediis neglexit. Sic factum est, ut post aliquot annos malum gravius rediret, & negligentem hominem mortis poena afficeret. Hic filium reliquit, qui vix quindecim annis major eadem lue, & propemodum eodem jam gradu, quo pater fuit, infectus est.

VI.

VI. Dum haec ſcribo, alia quaedam Femina ad me accedit, quam ante diſceſſum meum exilibus notatam maculis rubris indolentibus videram & neceſſariis praeceptis inſtruxeram. Nunc vix agnoſco. Horridior eſt illâ Hebraeâ, cujus mentionem paullo ante N. IV. feci. Prava vitae ratio, & neglectus medicationis hanc perdiderunt.

VII. Non diu ante peregrinationem meam Viro cuidam generoſo officium Chirurgi faciens cum venam in brachio ſecarem & maculas aliquot rubras conſpicerem, mentem meam metu latentis leprae perculſam aperui. Ille vero, quia nullum inde ſentiebat dolorem, riſit ſuſpicionem meam, & monitionem contemſit. Ego contra, ex ſanguinis miſſi curioſâ inſpectione, haud vanum eſſe metum certius cognovi. Nam perexiguum ſeri à cruore ſeceſſit, & hoc ipſum viridi colore; ipſe cruor non ruber fuit, ſed unam quaſi lardi cruſtam exhibuit. Optaſſem, ut conjectura me falleret; ſed eheu! Eventus eam nimis comprobatam dedit Nam reverſus vidi virum manifeſtâ leprâ laborantem, quae nunc ad ſummum gradum pervenit.

VIII. Liceat triſtem veteris Amici ac Sodalis caſum prioribus adjungere. Neque enim ipſe vetat ſuperſtes, & conſiliis meis cum maxime utens; quin potius optat, ut ſuo ab exemplo alii ſapere diſcant. Viginti admodum annis abhinc Chirurgiae in noſocomio operam mecum dedit, ſed poſtea in culturâ plantariorum occupatus fuit. Erat tunc temporis viginti circiter annos natus, pulcherrimâ facie & ſtaturâ, ut nil ſupra; ſed etiam ſtrenus Bacchi Venerisque ſacrificator. Cum in eo eſſem, ut relictâ ad tempus Coloniâ in Americam Borealem proficiſcerer, ad eum in agro degentem inviſi. Cumque in nudato ejus pectore, maculas

nonnullas forte perciperem, rogavi, quid sibi contraxerit? Respondit, nihil se incommodi ex illis maculis sentre. Hoc vero pejus esse monui, petiique, ut positis vestibus, copiam inspiciendi corporis mihi faceret. Nihil quidem in reliquis partibus inveni, sed exploratis, quae in pectore erant, maculis, quum nihil omnino doloris ex punctione perciperet, graviter ipsum hortatus sum, ut curam valetudinis gereret. At spretis consiliis & praeceptis, suo more vivere, suoque genio indulgere, quod ipse nunc dolens fatetur, perseveravit. Sic paulatim crevit malum, eoque processit, ut ego, post quatuor fere annorum absentiam redux, amicum in viâ obvium non agnoscerem. Utique horridum, quod exhibebat, spectaculum verbis describere non valeo. Oravi eum & obtestatus sum, ut se tandem curae subjiceret, cum adhuc vegetâ esset aetate. Verum jam diffidebat arti, & intempestivo pudore paupertatem celabat. Quum autem ad incitas esset redactus, aliquamdiu post ad me confugit, desertus scilicet à familiaribus suis, quos fortuna adversa, ut fieri solet, fugaverat omnes. Non potui, quin amico veteri, quem animi & corporis mala ferme perdiderant, omnem curam diligentiamque adhiberem. Usus autem eâ sum medendi methodo, quam in Dissert. §. 47. & seq. exposui. Incredibile est, quot & quam gravia inter curandum symptomata inciderint. Atttamen Deus O. M. ita moliminibus nostris annuit, ut continuatâ per sex menses medicatione, vitium ferme eradicatum nunc videatur, redeantque paullatim vires corporis & pristina forma.

De

De Leprâ in corporibus inanimatis.

In quaestione de leprâ vestium & domorum nihil sane esset expeditius, quam cum Theologis plerisque & quibusdam Medicis sic modo dicere, hanc leprae speciem esse nobis incognitam, neque esse visam in universo Mundo, nisi in solâ Judaeâ, nec populum quemquam affecisse praeter Israëliticum; fuisse poenam extraordinariam, huic genti inflictam; cui cum Deus O. M. singularia privilegia concessisset, singularia vicissim supplicia eidem descisecenti jugiter & ingratae decreverit. Sic scilicet difficilis nodus facile solvitur (dicam, an potius) discinditur. Sed cum in prooemio pollicitus essem, de leprâ inaniamtâ quaedam etiam proferre, tali nuda ignorantiae confessione fidem datam non putem liberari posse. Quamquam ultro fateor, arduam esse quaestionem & Oedipo dignam; quoniam neque Arabes nec Graeci Medici, qui de leprâ hominum multa scripserunt, de tam pestiferâ illius vi, quâ vestes atque aedium parietes occupare posset, aliquid memoriae prodiderunt. Ne Rabbini quidem quidquam, quod memoratu dignum esset, aut lucem obscuro huic loco adferret, tradidere. Nihil ergo superest praeter argumentationem, ex analogiâ & rerum naturalium contagione petendam.

Primo quidem certum est, & diuturnâ observatione confirmatum, multos morbos non modo in putridorum classe, sed etiam inter mitiores cutaneos esse, qui vestimenta & lectulos polluunt, suisque effluviis sic inquinant, ut contagionem spargere possint. Quodsi magna vis talium effluvio

viorum ex infecto corpore, tamquam ex putridâ palude, vaporet, fieri posse videtur, ut non tantum vestes & stragulas inficiat, sed ipsos etiam parietes aedium aggrediatur. Quis non timet cum homine scabioso, etsi leviter tantum laborante, in eodem lecto cubare? Quis non reformidat luis venereae contagium? Quam pauci alios morbos exanthematicos non fugiunt? Nihil de peste dicam, nihil de febribus mali moris per populum grassantibus, quorum insidiosi halitus notissimi sunt. Praetereo etiam nosocomia, quorum corruptus aër hodie quidem variis apparationibus & organis ventigenis repurgari solet, sed solus quondam multos morbos, qui sanationem recipiunt, insanabiles fecit, & vel epidemias concitavit. Est sane in vulgus notum, semina multorum morborum rebus inanimatis sic posse adhaerescere, ut sensuum nostrorum aciem fugiant, & tamen in homines vim pestiferam exserant. Hinc repetenda est laudabilis consuetudo peregrinantium, qui valetudinis curam habent, ideoque lectisternia secum ferre solent, utique in diversoriis super lectulos sua linteamina sternenda curant. Hunc morem utinam omnes, quibus facultas est, imitarentur! Utinam cauponum res familiaris & diligentia illam cautionem supervacuam redderent! Multi enim, me hercle, gravesque morbi praeveniri sic possent. Quo magis culpanda est alia consuetudo, quae nostris temporibus admodum late patet, & sic inveterata est, ut parum de ejus noxis cogitetur. Loquor de Judaeorum & Mangonum commercio. Viles hi Mercatores magnam vestium copiam undique colligunt, atque in Vicis & Urbibus venales exponunt, non curantes morborum, ex quibus homines illis usi perierunt,

ge-

genera. Nonne in hisce aliquid pestiferi latere potest? Quis me justâ hâc suspicione liberet? An ergo mirum est, multos miseros nescire, quonam modo morbum gravem & forte insanabilem contraxerint? Sed ea est mortalium indoles, ut plerique mala, nisi praesentia, parum curent, praesertim si aliis desideriis agantur, aut opinionis imperio subjecti sint. Haec in transitu.

Redeamus nunc ad notissimum, quod à scabie modo sumsi, exemplum. Hujus materies in cute & panniculo adiposo haerens, sive sit subtilis & acer sal, nervulis inimicus, sive ponatur! animata & ut quidam viri celebres & periti volunt ex vermibus profecta (quamquam mihi longe verisimilius esse videtur, insecta scabiem non gignere, sed aliunde natam appetere & exasperare, dum in parvis ulcusculis ova sua deponunt,) scabiei ergo materies, quocunque demum modo producta, facillime in sanorum hominum corpora viam sibi facit, & suam quasi sobolem propagat. Inprimis autem calore animali gaudet, & sub hoc fotu facilius citiusque suscipitur. Saepe sepulta & quasi mortua latet in rebus inanimatis, atque ex lectulis, indusiis, vestibus, chirothecis, sedilibus, quibus homines bene valentes utuntur, calore vitali resuscitata, hos ipsos occupat & fatali spiritu inficit. Quae cum ita sint, & exemplis fere quotidianis confirmentur, non absurdum est credere, vestes & cubilia, ut à scabie, sic quoque à leproso veneno inquinari posse.

Ast hoc assumto, an domos etiam inquinari posse sequitur? Immo vero Orphanotrophea declarare hoc videntur, praesertim in illis regionibus, ubi non assidue lavantur & purgantur. In his aedi-

aedificiis jam à primà juventute notavi, paucos esse morbis cutaneis immunes; nec eos solum, qui cum parvulis in eodem cubiculo morantur, ut Paedagogos & Ministros, sed illos etiam, qui altioribus officiis funguntur, ideoque extra commercium cum pueris puellisque sunt, scabie propemodum omnes plus minus vexari. Probe recordor, cum admodum adolescentulus tirocinium Chirurgiae facerem, à sodali & condiscipulo, cujus mater custos & dispensatrix linteaminum in Orphanotropheo quodam erat, infectum me fuisse, tametsi ille antea mundus plane fuerit, nec quemquam praeter matrem in Orphanotropheo inviserit. Neque haec tantum observatio, quae pervulgata est, tales domos contagiosas esse indicat, sed alia est subtilior, que infectionem confirmat. Etenim fere constans est, ut hi etiam, quos paullo post ingressum scabies non corripit, in alium aliquem gravem morbum incidant, & in vitae discrimen ducantur. Mihi exemplum tristissimum dedit dilectus Frater, qui Paedagogi titulo ingressus erat Orphanotropheum. Haec vera est Pandorae pyxis, quae multa & varia mala assidue fundit, quae Medicos & Chirurgos misere vexat, saepe pessumdat, semper impedit, quo minus aliorum in curatione proficiant.

Non dubito, fore multos, qui, quae de scabie domos contaminante modo proposui, perperam ad leprosum virus traduci putent; praesertim quoniam ex meâ hypothesi perspiratio Sanctoriana in leprosis corporibus valde vitiata & fere suppressa est, proinde paucos nec impetuosos halitus fundere potest. At vero haec rationis conclusio non videtur justa esse. Etsi enim perspiratio perturbata est, & suppressa dicitur, hinc tamen non

se-

ſequitur, nihil de corpore effluere. Exemplum praebet *ſpasmus tetanoides*, qui in his Coloniis valde familiaris eſt, & ex improviſo atque magnoimpetu homines invadit, & celerrime rapit. Sub hoc univerſa cutis arida apparet, ſudorem provocare perquam difficile eſt, & tamen ſemper aliquid efflari odoratus docet; id, quod exhalat, foetorem habet ſingularem & quaſi aliquid cadaveroſi. Similiter res ſe habet in leproſis. Non perſpirant naturae convenienter, ſed exſpirant tamen aſſidue noxios halitus.

Jam, quo acrior & ſubtilior eſt halitus, hoc promtius ſe penetrat in corpora tam animata, quam exanimia. Tempus & modus receptionis pendent à variâ corporum indole. Quod autem corpora etiam inanimata attrahant retineantque peſtiferos ejusmodi halitus, inde ab ultimâ antiquitate animadverſum notatumque eſt. Nonne peſtis in lanâ & textis ex eâ veſtimentis fatales quaſi nidos facit? Ideoque rerum harum commercium prohibetur, ſicubi furit? Quam quidem cautelam triſtis experientia hominibus maxime commendavit, & neceſſariam eſſe docuit; ſiquidem cum talibus mercibus peſtifera lues ex diſſitis regionibus & vel transmarinis ad populum, proſperis rebus fruentem, haud raro delata eſt. Quis neget venenum leprae, licet minus velox, minus ſubtile ſit, ex unâ Orbis parte in aliam pari modo transferri poſſe?

Ne tamen analogia temere & ultra, quam par eſt, extendatur, quaedam adhuc conſideranda ſunt. Credo enim tranſpirationem inter initia leprae non eſſe penitus ſuppreſſam, niſi in ipſis maculis; & quo magis hae propullulant, eo magis etiam illam minui; ideoque malum non tam

con-

contagiosum esse in primo stadio, neque tam cito in corpora sana se penetrare, quam in morbo provecto. Secus enim Israëlitici Sacerdotes, quorum erat officium de leprâ accusatos inspicere & explorare, aleam contagii frequenter adeuntes debuissent infici, quod tamen nunquam legimus factum esse. Verum crescente morbo, augeri infectionis periculum, hoc mihi ex ipsâ Sacrâ Scripturâ patere videtur, quoniam homo, cujus lepra exulcerata fuit, post primam statim infectionem, nullo temporis spatio interjecto, absque praeviâ seclusione à populo separari jubetur, ne cunctando, & iterum iterumque inspiciendo, spargeret contagium. Ut ut autem tardior est leprae, quam aliorum venenorum, contagio, praesertim inter principia mali, tamen in quocumque statu sit, timenda est. Itaque qui valetudinis suae curam habere cupit, hunc oportet cavere, ne cum leprosis in eodem cubiculo habitet, ne eadem suppellectile utatur, ne concumbat, neque familiariter cum illis conversetur, neque ad eos, nisi ex officio invisat. Inhumanum quidem esset, vulnera & ulcera eorum non curare; vel sic tamen prudentis Chirurgi est, ut leprosos doceat ipsos sibi mutua quaedam officia praestare, & ut singulos sibimet medicamina, quoad fieri potest, applicare sinat. Etenim ab experientiâ didici, etsi ulcera leprosa laudabile fundant pus, quasi ex sanis corporibus fluens, tamen semper singularem spargere foetorem, quem verbis exprimere non valeo: sed valde venenosum esse arbitror, & ad inficienda corpora tam animata quam inanimata idoneum.

Saepenumero miratus sum saniei ex leprosis ulceribus manantis vim in commaculando & velut rodendo res exanimes, pannos, xylina texta perinde

perinde ac lintea. Quamquam oculis boni puris ſpeciem praebeat, tamen veſtes, induſia, faſcias, ſplenia, ſic contaminat, ut iteratis lavationibus repurgari nequeant. Maceranda crebro curavi lixiviis calidis & frigidis, variis liquoribus ſpirituoſis, acidis & alcalicis ſaponibus; ſed fruſtra. Sunt enim maculae omnino indelebiles & potius incrementum capere, quam minui ſub his lavationibus videntur. Anne hinc lepra veſtium & ipſorum aedificiorum ex parte intelligi & explicari poteſt? De veſtibus pollutis, laneis, lineis, ſericis, dubium non eſt; ſed de pollutis parietibus difficilior quaeſtio. Fateor mihi defuiſſe opportunitatem, maculas harumque incrementa in aedificiis ſpectandi, forte quoniam his in coloniis, ob aeſtum aëris, pleraque aedificia e ligno ſunt conſtructa. In his numquam mihi videre contigit *ſcrobes* illas *viridescentes* aut *rufas*, quas in muris & parietibus pollutarum domorum notavit divinus Legiſlator, tanquam Leprae ſigna (*a*). Hic ſcilicet de domibus loquitur, quae ex lateribus, calce, & luto conſtructae ſunt. Credibile eſt, lignum non tam aptum eſſe concipiendis illis maculis, praeſertim ſi valde durum ſit, quale a Surinamenſibus adhiberi ſolet. Quamvis igitur mihi non licuerit infectos parietes & maculis notatos cernere, tamen perſuaſum eſt, exiſtere veram aedificiorum lepram. Nam non poſſum ab animo meo impetrare, ut credam, vitium, de quo in legibus divinis agitur, metaphorice lepram vocari, veram non eſſe. Equidem *Richardus Mead*, Vir ſagaciſſimus, illud comparat efflorescentiae, quam in noſtris domiciliis ſubinde obſerva-

(*a*) *Levit.* Cap. 18. vs. 37.

vamus, ſicubi parietes & laquearia, gypſo parum idoneo obducta, ſenſim ſales calcarios & Aphronitrum niveo fere colore proferunt; unde colligit lepram in domo ſignificare humorem ex fermentatione rerum, quae ad conſtruendos muros miſceri ſolent, natum, qui paulatim in pariete prorumpens maculas ſerpentes faciat; & licet non ſit contagioſus, tamen inſalubri quodam halitu incolis noxam & perniciem adferre poſſet (*b*). Huic ego interpretationi adſtipulari nequeo; ſiquidem expreſſa legum verba contra faciunt, nec ſane phaenomena reſpondent. Videamus ergo, anne alium explicandi modum analogia nobis ſuppeditet.

Omnibus artis Chemicae cultoribus notum eſt, calcem vivam ſalibus ad ingenium alcalinum accedentibus impraegnatam eſſe; terram quoque ſubtilem ac mucilaginem quandam complecti. Haec inter ſe mixta quodcunque humidum ex atmoſphaera attrahunt & figunt. Statuere ergo licet eadem ex aliis corporibus exhalans contagium leprae imbibere poſſe & retinere. Quo aſſumto ſequitur, ut lepra in materie aedium paſſim nidum habere queat, & forte etiam nutrimentum, ſiquidem prima ejus elementa, perinde atque calcis & caementi, ſunt ſalini phlogiſtici & terreſtris ingenii. Exhalans de leproſo corpore foetor ſatis declarat, partes oleoſas in hoc veneno eſſe, idemque vis narcotica leprae confirmat. Num vero ſalina ſpicula in primo morbi ſtadio adſint, non aſſeverare audeo; ſed increſcente morbo naſci, pruritus & ſtimulus ad venerem indicat. Hoc igitur modo, hâc viâ, ſuſpicor ipſas domos, earum-

(*b*) Medicâ ſacr. Cap. 7. de Leprâ.

rumque parietes, ex lapidibus, terrâ lutoſâ, calce, pilis animalium ſimilibusque rebus conſtructos, poſſe verâ leprâ coinquinari, & ſemel infectos virus viciſſim in ſana hominum corpora transferre. Quae ſi ita ſint, intelligitur, cur ſacerdos, uti in homine ob lepram accuſato, ſic etiam in viſitatione aedium ſuſpectarum oculos & animum ſollicite advertere debuerit ad ſigna à Legiſlatore indicata, praecipue ad macularum colorem & incrementum, priusquam domum puram vel infectam pronuntiaret. Quocirca memorabile eſt, quod, licet in univerſum ſimilia leprae ſigna in rebus inanimatis atque in hominibus a divo Moyſe tradita ſint; attamen albarum macularum nunquam mentio facta fuerit, ubi de corporibus vitâ & animâ carentibus ſermo eſt. Leproſae veſtium & aedificiorum maculae ſemper pallido-rubrae eſſe dicuntur. Nec ſane mirum eſt, in vivis & animatis corporibus majorem colorum varietatem obtinere; quoniam magis ſunt compoſita, & pluribus mutationibus obnoxia, quam res exanimes. Illa quoque principium vitae & vires medicatrices in ſe habent, quibus hae deſtituuntur. Quae ratio eſt, ob quam animata interdum propriis viribus ſuſceptum leprae venenum perdoment & expellant; contra exanimes viru ſemel imbutae & penetratae liberari nequeant, niſi igneo motu diſſolvantunr. Atque ſic illud paradoxon, quod Interpretes legum Moſaicarum maxime moratur, intelligi poteſt: cur nempe homo leprà univerſali (modo non ſit exulcerata) affectus ex lege mundus habeatur; contra res inanimis, leproſo veneno penitus infecta, comburi debeat?

Animadversio circa methodum medendi; & descriptio trium plantarum in curatione leprae adhiberi solitarum.

Longa est, fateor, & taedii plena methodus curandae leprae, quam adhibere solitus in dissertatione mea exposui §. 47–64. Diu trahit aegros & severis diaetae legibus adstringit, eosdemque pariter ac medicos vehementer fatigat. Cui quidem incommodo hoc unum consolandi caussa offerri potest, quod vulgo dicitur: *sat cito, modo sat bene!*

Sed alia est reprehensio majoris momenti: *an methodus nostra eradicando tam immani vitio par sit?* Plerisque enim medicis, qui in temperatis & frigidis Europae regionibus artem faciunt, ea sedet & alte inhaeret opinio, quasi vehementiores cutis morbi sine mercurio & antimonio horumque metallorum amico sulphure sanari non possent. Ab his igitur pharmacis cum non modo abstinuerim, sed leprosos etiam dixerim offendi & morbum in pejus verti, non dubito, fore multos, qui methodum meam nimis levem esse judicent, quippe medicamenta non fortissima recipientem. Sed quod in singulis virium mensurae deest, multorum concursus, item constantia, ordo & duiturnitas applicationis compensare debent. Universalis est medela, non propria & specifica; & hoc nititur principio: universam succorum molem in corpore leproso mutandam esse, & novo quasi charactere impertiendam; ideoque omnes cruditates, quae in eo existant, prudenter everrendas; ne novae colligantur, cavendum; secretiones omnes expediendas; maxime vero per renes & poros cutis im-

impura ramenta eliminanda; interim viribus corporis sollicite prospiciendum.

Hanc autem quasi metamorphosin corporis tutius posse lenioribus medicamentis, balneis, clysmatibus, tempestivis venaesectionibus, sudationibus similibusque diu constanterque adhibitis obtineri, quam profusa statim sanguinis detractione, & drasticis pharmacis, quibus veteres uti solebant, ego quidem semper credidi, & usu etiam expertus sum. Utique methodum certiorem & quasi specificam nondum esse inventam opinor. Ea enim, quam Liberta Surinamensis sequitur, quamque in dissertatione mea pag. 57. & seq. leviter adumbravi, tametsi brevior est, tamen non omnino certa & tuta esse videtur, nisi pariter, ac nostra, in sat longum temporis spatium fuerit protracta. Neque enim dissimulare possum, ex quo tempore in Coloniam redii, oblatos mihi quosdam esse leproso vitio infectos, qui ab illa Femina quondam curati & externa specie sanati videbantur. Unde festinationem etiam sub hac methodo inutilem & damnosam esse conjicio. Neque tamen debitam ei laudem detrahere velim, neque occasiones praeterire sinam, quibus illa sub examen vocari & per experimenta accuratius probari poterit. Interim dum has expecto, datam fidem ex parte liberaturus describam breviter binas illas plantas, quibus Liberta plurimum tribuit, adjecta tertia, qua eadem Femina & alii Africani multum confidunt.

TONDIN.

In uliginosis locis crescens hic frutex non magnam altitudinem nanciscitur; materiem valde tenacem sed non ultra pollicem crassam praebet; comam vero diffusam satis & cauliculis longis, foliosis cirrhosisque insignem habet —— Caules omnes, ut teneri, triangulares sunt; aetate lignescunt; lignum ipsum formam trigonam utcunque servat; ejus certe juxta corpus decurrunt tres anguli e cauliculis sensim compactis rigidatisque facti —— Folia semper quina uni petiolo eique leviter alato affixa sunt —— Flores bis in anno, mensibus nempe Junii & Decembris, prodeunt, bisque fructus maturantur. —— Florendi modus elegans est: ex angulis, quos petioli foliorum cum caulibus faciunt, capreae nascuntur, quae primo cirrhos, dein supra hos spicam flosculis candidis insignem, emittunt. —— Exiles sunt flosculi, in quibus tamen octo stamina distincte cernit oculus armatus. Staminum quatuor longiora, quatuor notabiliter breviora sunt, singula antheris globulosis instructa. —— Inter haec ovarium est, duo gerens stigmata, quorum unum altero crassius est. —— Conspiciuntur etiam nectaria quatuor lutea. —— Atque omnes hae floris partes duplici perianthio inclusae sunt, exteriore quadrifido, interiore, cui corollae nomen competit, ex octo vel novem laciniolis constante. —— Interea dum flores explicantur & officio suo functi sensim arescunt ac defluunt, capreae seu cauliculi florigeri crescere pergunt, longioresque crassiores ac tenaciores evadunt, adeo ut fructificatione peractâ

no-

notabiles racemulos, multis nuculis onustos, simplices tamen, repraesentent. Quam ob caussam mihi quidem hic frutex *Coccolobarum* generi accensendus videtur. — Fructus est capsula vel potius nucula, pollicem fere longa, turbinata quidem, sed tamen superius ex rotundo molliter trigona & inter torulos exiguo mucrone instructa; caeterum trivalvis, trilocularis, & tribus foeta seminibus seu nucleis, qui inter tres dissepimenti alas apte positi sunt, ab externa parte convexi, intus cum inaequalitate quadam complanati (*). Haec descriptio ut plenius intelligatur, inspicienda est tabula prima, quae exhibet. Fig. 1.

(*a*) Adumbrationem plantae floribus ornatae & exsiccatum etiam ramulum miserat Cl. *Schilling.*; sed cum non addidisset vel ipsos fructus vel horum descriptionem, aliquamdiu hæsi circa genus fruticis; quanquam habitus externus a *Coccolobis* diversum & *Paulliniis* proximum esse declararet. Nuper demum ramulos aliquot nuculis maturis instructos accepi, e quibus plenissime cognovi, hunc fruticem ad *Paulliniæ* genus omnino pertinere, neque a Botanicis, qui Americam meridionalem peragrarunt, praetervisum esse. Dubitari enim non potest, quin ipsa sit, quam *Carolus Plumierius*, Botanicorum facile princeps, in descript. plant. American. p. 76. tab. 91. exhibuit, *Clematis pentaphylla, pediculis alatis, fructu racemoso tricocco*; quamque idem Vir in gen. 34. titulo *cururu scandentis petaphyllae* recenset; de qua etiam *Johannes Burmannus*, Vir celeberrimus, in fasc. 5. plant. American. commemorat, dicens *Paulliniam pinnatam Linnæi esse speciem cururu, & foliorum numero maxime differre a cururu triphylla*; ubi addere noluit, quod studiose intuentibus satis manifestum est: non recte Paulliniam pinnatam a Cel. *Linnaeo* appellari, quae folia semper quina habet. Caeterum flosculos horumque partes, cum perexiles & detritae essent, ad naturam exigere non potui; nec proinde omnis circa duplicis perianthii & nectariorum structuram stigmatumque numerum dubitatio mihi sublata est. At nuculas bene multas vidi & tractavi, earumque imaginem pariter ac veram foliorum formam perità manu *N. Meerburgii*, Academiae nostrae Hortulani, delineandas curavi. *Not. Editor.*

Fig. 1. *Ramulum terminalem, foliis capreisque cincinnatis & florigeris instructum, naturali magnitudine expressum.*

Fig. 2. *Stamina prout oculo armato semet offerunt.*

Fig. 3. *Rudimentum fructus, microscopio spectatum.*

Fig. 4. *Fructum perfectum, integrum & adhuc clausum.*

Fig. 5. *Eundem apertum, demtis duabus valvulis & dissepimento, ut appareat situs seminis seu nuclei in torulo suo, simulque valvularum lignosa crassities.*

Fig. 6. *Semen unum e tribus, quae in nucula continentur.*

Fig. 7. *Dissepimentum nuculae e tenui pedicello in tres alas expansum, quas inter semina reposita sunt, manentque interdum aliquamdiu valvis jam dehiscentibus & vel lapsis.*

CUSCUTA SURINAMENSIS.

Cum in dissert. pag. 60. notaverim, linimentum adversus maculas nodosque leprosos a Liberta nostrà adhiberi solitum ex Cuscutà quadam potissimum parari, visum est, hujus etiam plantulae effigiem adjicere, ut rerum periti, cujus illa generis sit, tutius certiusque judicare queant. Dubito enim, Cuscutae generi an Cassythae annumeranda sit. Utique plantula parasitica est; foliis caret; Cauliculis mire laxutiat, & multiplicatis in immensum filamentis suis involvit vexatque plurimas arbores, frutices, herbas. Flosculorum fasciculos undique pandit, mire prolifera —— Calix monophyllus, corolla monopetala; ambo quinquefidi sunt —— Antherae filamentis non sustinen-

nentur ſed ad angulos corollae ſedent, urplurimum quinque, interdum plura, nunquam pauciora —— Rudimentum fructus intra florem poſitum, duos ſtylos in ſtigmata rotundula deſinentes exſerit —— Capſula ſuccedit ſubrotunda, unilocularis, paucis & exilibus ſeminibus inſtructa (*b*) —— Tabula ſecunda plantulam ejusque partes repraeſentat.

Fig. 1. *Ramo mali limoniae circumvoluta & intorta plantula cum floſculis & ſeminibus ad naturalem formam & magnitudinem.*

Fig. 2. *Flos ante explicationem calice involutus, trans lentem ſpectatus.*

Fig. 3. *Corolla integra ſub microſcopio viſa.*

Fig. 4. *Ovarium cum ſuis ſtylis, vitro amplificatum.*

Fig. 5. *Corolla transverſim ſecta & expanſa, filamentorum abſentiam & antherarum poſitionem clarius prodens.*

VISCUM SURINAMENSE.

Hanc quoque plantam Aethiopes magni faciunt in curanda lepra; ideoque diligenter colligunt; ex aqua decoquunt; decocti modo tenuioris, modo ſa-

(*b*) Hunc characteriſmum expendenti apertum eſſe credo, plantulam noſtram à *Caſſytha* magno intervallo diſtare, & ad *Cuſcutae* genus omnino pertinere; ſiquidem vulgaris etiam *Cuſcuta* quamvis quaternarium in floris partibus numerum plerumque teneat, interdum tamen quinquefidos floſculos & quinque antheris inſtructos ferre ſolet, praeſertim in meridionali Europa. *Not. Edit.*

ſaturatioris magnam copiam aegris potandam dant. Ego quidem ejus efficaciam in ſananda lepra nondum expertus ſum; ſed inſignem vim diureticam pleniſſime cognovi. Neque tamen alienum eſſe credidi, deſcriptionem ejus & iconem prioribus adjungere — Elegans planta eſt, dum candidos pandit florum thyrſos perinde ac dum rubris fructuum corymbis ſuperbit. Radices arboribus inſerit, harumque comas paraſitica inveſtit — Caules glabros, folia oppoſita, lanceolata habet — Ex alis foliorum atque ab extremis ramulis emittit cauliculos florigeros, varie diviſos — Flores calice & corolla inſtruuntur, in ſex partes diviſis; & in corolla ſub microſcopio ſpectata inſuper apparent appendiculae ex laciniis corollae productae & quoddam quaſi nectarium formantes — Stamina aut antheras non diſtincte vidi — Ovarium in ima corolla ſitum, habet quidem ſtylum ſat longum & pulpoſo ſtigmate inſtructum, ſed ſtylus hic ita reclinatus eſt, ut extra nectarium non emineat. — Fructus eſt drupa rubro colore inſignis, forma ovali, nucleum glutine luteo circumfuſum continens — (c) Tabula III. plantam ejusque partes exhibet.

Fig.

(c) Ornatiſſimus *Schilling* hanc plantam primo ſimpliciter *Viſcum* appellavit, deinde *Viſcoidem Jacquini* eſſe ſcripſit; ſed ab utroque genere diverſam eſſe putem; niſi forte in deſcriptione floris peccatum ſit, in qua certe omiſſum criterium a ſtaminibus deſumendum deſideratur; quo ſublato dici non poteſt, ad quam claſſem in *Linnaeano* ſyſtemate pertineat, Hexandriam, Monoeciam an Dioeciam? Quodſi flores, quales verbis & iconibus expreſſi ſunt, tales omnino exiſtunt, antheris etiam inſtructi, ſed ob exilitatem praeterviſis, apertum quidem eſt, plantam *Loranthis* proximam eſſe, nec male his accenſeri, quorum quippe nonnulli ſpeciem viſcorum

&

Fig. 1. *Ramulus est foliis floribusque instructus, naturali magnitudine.*

Fig. 2. *Flos explicitus, sub vitro valde amplificante spectatus.*

Fig. 3. *Una ex laciniis s. petalis corollae cum appendicula.*

Fig. 4. *Rudimentum fructus, quale oculis armatis apparet stylo in rectum extenso.*

Fig. 5. *Racemus druparum maturarum, naturali magnitudine.*

Fig. 6. *Drupae tunica, demto nucleo, convolvens se, magnitudine multum auctâ.*

Fig. 7. *Nucleus visco luteo, admodum lento, largiter circumfusus.*

& similem etiam crescendi modum habent. Sin vero foecundi flores antheris prorsus careant, & staminiferi omnino steriles sint, atque distinctis etiam stirpibus ferantur, aptius juxta *Tamos* & *Smilaces* collocabitur. *Not. Edit.*

FINIS.





Fondin Surinamensium.


B. de Bakker fecit.


Cuscuta Surinamensis.


Fig. 1.


Fig. 2.


Fig. 3.


Fig. 4.


Fig. 5.

B. de Bakker, fecit

Fig. 4.



Fig. 6.





Fig. 7.






Fig. 3.



Fig. 5.



Fig. 2.

Fig. 1.

Viscum Surinamense.

B. de Bakker, fecit.